DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

MALEFICIIS COEPTIS

QUAM

DEO AUSPICE

EX DECRETO ET AUTORITATE

MAGNIFICI AC AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRI JULIA

PRÆSIDE

CONSULTISSIMO ET NOBILISSIMO VIRO

DN. GEORGIO ENGELBRECHT,

DIGESTORUM PROFESSORE ORDINARIO, HODIEQUE INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ DECANO, PROMOTORE AC FAUTORE SUO PLURIMUM OBSERVANDO

PRO

FACULTATE RESPONDENDI DE JURE EIQUE ANNEXÆ DIGNITATIS GRADU

PUBLICÆ DISQUISITIONI EXHIBET

ANTON JOHAN TURCKE

AD DIEM XXVI AUGUSTI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

HELMESTADII,

TYPIS HENRICI DAVIDIS MULLERI ACAD. TYPOG.

ANNO M DC XXC.

Introductio.

SCRiptum eſt illud Juliani JCti in *l. 15. ff. ad L. Aquil.* quod impunita eſſe maleficia non oporteat; item illud Gaij JCti in *l. 70. in fin. ff. de fidejuſſ.* quod pœnas ob maleficia ſolvi magna ratio ſuadeat; quibus verbis innuere voluerunt, quanti communi utilitati interſit, ut ſingula crimina debitis pœnis vindicentur. Et ſanè non minima Pars officij magiſtratus in eo ſita eſt, ut vitia Reip. noxia, quantum fieri queat, exſtirpentur, quod fit facinoroſos homines per juſta ſupplicia tollendo, ac velut putida ejus membra reſecando, ne reliquam adhuc ſinceram ejus partem vitiis ſuis inficiant corrumpantve. Ea tamen moderatio, æquitas & cura in infligendis pœnis adhibenda, nequid duriùs aut remiſſiùs ſtatuatur quam cauſa poſtulat, ſed perpenſo Iudicio prout quæque res depoſcit conſtituatur, *l. 11. ff. de Pœnis.* Et quemadmodum inquit Ulpian. in *l. 13. ff. de off. præſid.* ut in unumquemque non aliter quam pro modo admiſſi animadvertatur; denique ut prudenter ab Impp. Gratiano Valentiniano & Theodoſio, Matroniano præſidi Sardiniæ reſcriptum eſt, id efficere oportet, ut metus ad omnes, pœna verò ad paucos perveniat *l. 1. C. ad L. Jul. repetunt.*

Cæterum conſtat, ardui laboris eſſe, perveſtigare, quæ huic vel illi delicto pœna exactè reſpondeat, id-

que dignoſci ſæpè nequit, propterea 1. quia tanta occurrit varietas circumſtantiarum, quæ factum gravius aut mitiùs puniendum ſuadent; in moralibus enim circumſtantiæ mutant negotia; præterea nonnullæ res in moralibus ſunt quaſi extrema; aliæ vero intermedia: aſt quia hæc de extremis aliquid participant, dummodo ad hoc modo ad illud extremum propius accedunt, hæc quidem ſatis expedita ſunt, verũ intermedia difficultate non carent, quemadmodum in dolo & caſu fortuito perſpicuum eſt videre, inter quæ velut extrema, culpa (dum neque ſcientis & volentis neque merè ignorantis & inviti dici poſſit,) interpoſita eſt, ſic ut ex utroque velut conflata eſſe videatur, dum de utriuſque natura quicquam participat, unde evenit, ut dolus pœnam ſemper mereatur, & ad reſtitutionem damni obliget, mera in fortunia ſeu caſus fortuiti ad nihil horum; culpa autem velut media interdum pœnam mereatur & reſtitutioni obnoxia ſit, interdum non, prout ſcilicet dolo vel caſui fortuito propior eſt vel remotior. Verum hoc ipſum medium quod Ariſtoteles ἁμάρτημα, interpretes culpam vocant, cum ſit tantæ latitudinis, neceſſe fuit ad certitudinem aliquam huic rei afferendam certos gradus invenire, nimirum diſtinguendo culpam in latam, levem & leviſſimam; imò quidam inter quos & Bartolus ulterius progreſſi, eam in quinque partes partiti ſunt, neque tamen difficultatem omnem removerunt; Facile quidem fuit in genere talia ſtatuere, verùm in applicatione ad factum ſeu caſus obvenientes tanta difficultas in his reperitur, ut vix quid ſit intricatius, de quo mea quidem ſententia nemo rectius judicaverit, quam qui judiciis intereſt.

intereſt. Similiter inter actiones licitas & illicitas ſeu inter id quod fieri oportet & quod fieri nefas, eſt medium quod licet ſeu indifferens, quod ad utrumque extremorum æquè ſe habet, ac itidem latiſſimè patet. In his igitur & ſimilibus fluctuat animus, & huc atque illuc diſtrahitur, ita ut quid in tanta incertitudine eligendum vel anteponendum ſit, difficulter judicari queat.

Præterea exploratum eſt, judices affectibus odio præprimis & gratiæ imò corruptioni obnoxios, quæ ita judicium rationis obnubilant, ut quid in quaque cauſa verum ſit, perſpicere ſæpe nolint aut non poſſint; accedit & alia non contemnenda ratio, quod nimirum leges ferantur præviâ maturâ deliberatione, judicia autem de rebus præſentibus inſtituantur, ſicut difficilè admodũ ſit ijs, qui judicant, definire quid juſtum ſit *Ariſt.1.Rhet.1.* Quapropter qui legem præficit, is rectam rationem imperare ſinit, quia lex ſecundum Ariſt. eſt ſine appetitione mens, qui verò hominem; is ſæpè beluam propter nimios affectus atque animi perturbationes, *l. 3. Polit. cap. 12.* Has igitur ob cauſas neceſſe eſt ut Legislator, quantum in ipſo eſt & materiæ conditio permittit, pleraque legibus determinet, quam pauciſſima vero Iudicis arbitrio relinquat; quod ſi ulla alia gens certè Romani religioſè obſervarunt, quibus nihil æquè magis curæ fuit, quam ut quantum fieri potuit, omnia legibus determinarent, easque ſanctè obſervandas & ſecundum eas pronunciandas magiſtratibus & præſidibus ſuis graviſſimâ ſimul propoſitâ pœna injungerent, *Nov.24.c.2. N.25.c.2. N.26.c.2. n. 79.c.1. N.86.c.1.&c. N.113.c.1. N.125.c.1.* Mirum proinde videri debet illorum judicium, qui Jus Romanũ multitu-

titudine Legum laborare, eaſque ut ſignum ægræ ac corruptæ iſtius Reip. conſiderant, id quod obiter monendum fuit. Licet autem pleriſque negotiis in Jure Romano peculiares leges ſint præſcriptæ, quas Iudices ſequi debeant, ne in judicando aberrent, in tanta tamen negotiorum præſertim verò delictorum frequentia & concurſu novis caſibus ſubinde emergentibus (cum natura novas ſemper formas edere properet) evitari vix potuit quin quædam legibus indefinita relicta ſint, id quod maximè in criminibus attentatis animadvertere licet, quorum pleraque Iudicis arbitrio punienda commiſſa ſunt, idque non vitio Legislatorum, ſed potiùs materiæ hujus conditioni adſcribendum, quippe quæ non patitur certi quid circa eam ſtatuere; cum enim & hæc interjecta ſit inter cogitationem nudam & factum externum conſummatum, & quidem tanta latitudine, determinatio circa hanc admodum eſt difficilis; Interim Romani LLatores huic difficultati mederi cupientes, quo magis Judicis arbitrium conſtringerent ac coärctarent, & quoad fieri potuit, etiam in hoc genere nil quicquam indeterminatum relinquerent, in aliquibus delictis non ſolum atrocioribus (ut quidam falsò exiſtimant.) ſed & in levioribus quibusdam ſolam attentationem notare voluerunt, ita tamen, ut & in his gradus remotionis &, propinquitatis conatus à perfectione veri criminis obſervent, & juxta has pœnas commenſurent. Quorum veſtigiis etiam poſteà Glorioſiſſimus Imperator, Carolus V. inſiſtens, in Ordinatione criminali eadem ferè quoad affectum puniendum obſetvavit; Tantum igitur abeſt ut hac in parte quicquam juri

com-

communi derogaverit, ut potiùs illud confirmarit; præſertim quod delicta atrociora attinet; quænam autem hæc delicta ſint, in quibus ſolus affectus à jure tam civili, quam Canonico, Ordinatione item Criminali & Conſtitutionibus Imperii puniantur & quomodo, in tractatione poſtea videbimus. Nunc ordinis ratio poſtulat, ut generalia præmittamus, quorum ductu materiæ hujus naturam & reliqua quæ ad ejus enodationem aliquo modo facere videntur perquiramus, quibus præmiſſis, ad ſpecialiora demum progrediemur.

CAPUT I.

Definitiones nominales maleficij, item cœpti explicans

THESIS I.

STatim autem in principio hujus diſcurſus ſeſe offert vocabulum Maleficium, ſeu malefactum; cujus originem & derivationem vox ipſa ſatis indicat. Eſt autem Maleficium quidquid improbè admiſſum eſt *Ulp. in l. 1. ff. ſi fam. furt. fec.* unde Maleficus, malitioſus, pernicioſus, Sceleſtus, improbus, qui alteri nocet & inſigne damnum infert. Juris interpretes Maleficium à crimine ſolent diſtinguere, ita ut per Maleficium privata tantum delicta; velut furtum rapinam. &c. intelligant; per crimina vero; facta atrocia, quibus Reſp. inſigniter læditur. Grotius ad huc longius abit & definit Maleficium per culpam omnem ſimpliciter ſive in faciendo ſive in omittendo conſiſtat *lib. 2. d. I. B. & P. c, 17. n. 1.* Sed videtur abuti vocabulo culpæ, cum tali acceptione etiam illi, qui contractum non ſervant, vel qui per ignorantiam vel imprudentiam aliquid faciunt Maleficium committant; ceterum hoc non eſt perpetuum, cum ſæpiùs hæc vocabula in jure confundantur, ſic ut Malefi-

cia

ſia tam pro delictis publicis & enormibus, quam privatis promiſcuè uſurpentur *d. l. 1. ff. ſi fam. furt. fec. l. 15. ff. ad l. Aquil. l. 16. §. 9. ff. de pœnis* & denique infinitis locis aliis. Videtur autem error inde profluxiſſe, quod æquivocationem, quæ in vocabulo Maleficij latet non deprehenderint; aliquando enim ſumitur pro vitioſa actione, quatenus ex injuſtitia univerſali profluit, & in hac ſignificatione omnis generis delictis tam privatis quam publicis tribuitur; modo vero Sumitur pro invita quadam commutatione ſeu actu quo in bonis externis alter læditur, & ſic privata tantum delicta denotat. Quod cum ita ſit, non malè quoque fecerimus, ſi & in præſenti materia hoc vocabulum latè ſumamus atque omnis Generis delictis indifferenter applicemus, idque eo libentiùs, quod video, apud optimos quoque Scriptores hanc vocem de omnis generis delictis tam publicis quam privatis promiſcuè uſurpari.

II. Succedit vox cœpti. Eſt autem cœptum ſeu inceptio nihil aliud quam principium actionis Ein Anſang oder Fürnehmen/ Græcè ἀρχὴ, ad quem ſenſum benè Cicero in Catilina: *Cujus ego ſi non modo factum, ſed inceptum ullum conatumve contra patriam deprehendero*; & Terentius in Eunucho: *O. Parmeno, O mearum voluptatum omnium inventor, inceptor, perfector.* Eleganter Gallicè dicitur *entrepreneur* inceptor Germ. Der ſich etwas unterſtehet zuthuen oder ins Werck zurichten; ab hoc igitur deducitur frequentativum, incepto, quod Germanice exprimitur embſig anfahen unde Terentius vah! *video quod inceptet facinus.* Voces Synonimæ ſunt: inchöare, niti, experimentum facere, moliri, machinari, conari tentare, quæ verba, præter voluntatem etiam actum aliquem externum indicant.

CAPUT II.

Generalia tractationis, Deſcriptionem maleficij cœpti, ut & diviſiones ejus exhibens.

THESIS I.

EST autem maleficium cœptum nihil aliud, quam *Factum manifeſtum ad nocendum comparatum*; In qua deſcriptione conſi-

conſideranda veniunt 1. Genus quod per *Factum* exprimitur & eſt vocabulum πολύσημον, quod multas & varias habet ſignificationes; Nos, omiſſis reliquis, quales in Jure ſignificationes habeat, videbimus; facere igitur ut & factum accipitur pro nudo aut ſimplici facto, citra ullum alium reſpectum: verbi gratia, Spatiari, pomum decerpere; aut ſumitur pro eo facto quod effectum aliquem Juris participat, & in hac ſignificatione omnem faciendi cauſam in ſe continet, ut Judicandi, Solvendi, dandi, numerandi, *l. 175. ff. d. V. S. l. 218. ff. eod. l. 94. ff. de V. O.* & eò etiam pertinet, quod aliud factum à Doctoribus appelletur nudum, uti foſſam fodere, inſulam fabricari. *l. 72. init. l. 84. ff. de V. O.* unde obligatio faciendi: *l. 13. §. 1. ff. de R. ind.* aliud prægnans; in quo ſimul jus in re in alium transfertur, uti tradere rem venditam *l. 11. §. 2. ff. de Act. emt. & vend.* & inde dandi obligatio oritur. *l. 75. § fin. ff. de V. O.* Aliquando factum Iuri opponi ſolet *l. 38. ff. de V. O.* hinc facti quæſtio Juris quæſtioni adverſatur & talis eſt, quæ in mero facto conſiſtit *l. 25. ff. de neg. geſt. ad. l. 99. ff. de V. S.* Interdum factum idem eſt, quod caſus vel ſpecies, ſine quo certa juris regula colligi nequit; hinc Julianus in facto Jus eſſe poſitum ait. in *l. ſi ex plagis ff. ad L. aquil.* Hoc loco idem eſt quod res geſta *eine That eine Handlunge* & eſt vocabulum indifferens ad utrumque Sive bonum ſive malum, cujusmodi vocabula multa in jure reperiuntur, veluti dolus alius bonus qui eſt ſolertia naturalis, *l. 3. ff. de dolo malo*; alius malus *l. 1. §. 3. de dol. mal.* de hujus modi adiaphoris, vid. *Gell. noct. Attic. l. 9. c. 10.*

II. Generis autem loco dixi *Factum* ad indicandum, non ſufficere nudum mentis & voluntatis conatum, ſed progreſſum ad actum aliquem exteriorem, ſic ut ſub ſe regulariter nudam cogitationem non comprehendat, cum nemo cogitationis pœnam patiatur. *l. 18. ff. de pœnis* ſed inſuper dictum aliquod, conſilium, & conatum in ſpecie ita dictum, actus enim merè interni in foro civili nullam obligationem producunt, niſi in actus externos influant, tum enim ratione horum actuum non verò per ſe ſolum conſiderati, meriti qualitatem accipiunt. *Grot. l. 2. d. I. B. & P. c. 20. n. 39.*

39. Dicitur porro in definitione *manifeſtum*, quod eſt primum requiſitum formale, idque expreſsè conſtitutio Carolina requirit *art. 178. verbis* So ſich jemandt einer Miſſethat mit ehrlichen ſcheinlichen Wercken die zu vollenbringunge derſelben Miſſethat dienlich ſein mögen / unterſtehet. Excluduntur igitur hic facta occulta, antequam enim manifeſtum ſit factum, de eo cognoſci nequit, id quod eadem vult conſtitutio criminalis *art. 6. verbis.* Es ſein dan zuvor redlich und gnugſahme anzeigunge derſelben Miſſethat gläubwürdig auff jhn gebracht. idem *art. 7. & 8. 20.* conſtituit Imperator, wo nicht zuvor redliche anzeigungen der Miſſethat wornach man fragen wolte verhanden und beweiſet würden / ſoll niemand gefraget werden. Quod verbum redlich idem eſt ac ſupra ſcheinliche Wercke id eſt manifeſta, quod ſi de eo non conſtet, ex propria confeſſione nemo condemnandus, adeò manifeſtum requiritur. *d. art. 20. l. 21. ff. de quæſt. l. 2. 3. & 4. C. ſi ex falſ. inſtrum. Mynſing. 5. obs. 23. Farin. quæſt. 63. l. 2. n. 32.*

III. Alterum requiſitum formale eſt, ut ſit *ad nocendum comparatum.* Nocere autem hic eſt delinquere, quod Ariſtoteli nihil aliud eſt quam nocere ſponte contra Leges; per hoc igitur à factis cum indifferentibus, tum, illis, quæ per imprudentiam fiunt diſtinguitur, quod fieri omninò debebat; Niſi enim quis ad nocendum vel delinquendum ſponte feratur, factum non eſſet moraliter malum. Cum autem illud nocere non ſolum cœptis maleficiis conveniat, ſed etiã conſummatis commune ſit, igitur aliquid quærendum, quod differentiam ſpecificam inter hæc conſtituat, quapropter additur in definitione *comparatum.* Comparare autem hoc loco nihil aliud eſt quam præparare, ordinare, inſtruere vel machinari Germ. Zurüſten zubereiten / anrichten / anſtifften Gallicè dicitur *former un des ſe in* Inde Comparatio idem eſt ac Præparatio, inſtructio eine zurüſtunge/ zubereitung/ Sic. Cicero pro. *L.* Manilia *Comparatio* id eſt præparatio; quando igitur factum aliquod inſtruitur vel comparatur, eſt ad huc ſaltem in fieri, non vero in eſſe ſuo conſtitutum; hoc igitur verbo hujus generis maleficia à delictis commiſſis & Perfectis diſtinguuntur.

IV. Di-

IV. Dividuntur autem hæc delicta 1. ratione cauſæ efficientis, quod quædam horum delictorum ſpecies ex notatione legis ſint punibiles, aliæ lege non notentur. 2. A gradibus procedendi, quatenus nimirum voluntati delinquentis aut Conſummationi operis ſunt proximiores vel remotiores.

CAPVT III.

De cauſa efficiente tractans.

THESIS I.

GEneraliotibus deſcriptione ſcilicet & diviſionibus præmiſſis, ad cauſas jam Progrediendum, ubi primò in ordine occurrit cauſa efficiens, quæ eſt vel impellens, eaq; vel interna; vel externa; vel principalis, quæ vel propinqua vel remota; Cauſa interna, quæ impellit agentem ad perpetrandum maleficium vel crimen, eſt appetitio boni & fuga mali, verſatur enim omnis ratio faciendi circa bonorum adeptionem, incrementum, conſervationem, uſum; aut malorū evitationē, liberationē, imminutionē, converſionē. *Quintil. lib. 5. inſtit. orat. c. 10.* Pertinet huc locus ex *Cicero de Offic. l. 1.* Illæ quidē inquit in juriæ, quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur, ſæpè à metu proficiſcuntur, cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne niſi id alteri fecerit, ipſe aliquo afficiatur in commodo; Maximè autem ad injuriam inferendam adducuntur nonnulli, ut adipiſcantur ea quæ concupiverant. Quæcunque igitur homines agunt, ſemper alicujus boni conſequendi gratia agunt, idque vel verè vel apparenter talis, nam quid revera bonum ſit, ab eo quod apparenter tale, diſcernere ſæpe nequeunt propter improbitatem & in continentiam; qui enim non niſi voluntate omnia metiuntur & ſub ratione ejus tanquam boni omnia appetunt, quique omnia ſub ratione moleſti aut mali faſtidiunt, hos oportet in bonis dijudicandis falli & fallere, nec non tanquam apparentiâ bona ſectari.

II. Ex his conſtat, ſemper ob bonum vel verum vel apparenter tale aliquam actionem ſuſcipi, vix enim quiſquam gratis malus eſt, aut ſiquem malitia propter ſeipſam delectat, is ultra mo-

ctum humanum proceſſit. *Grot. de I.B. & P. l. 2. c. 20.* Cauſa impellens externa, quæ intentionem agentis ad delinquendum promovet, ſunt perſonæ delicti hujus Participes, quæ invitant ad delinquendum; Promovent autem eam maximè & quidem directè, conſilium dans, Mandans, auxilium præſtans; indirectè verò laudans, approbans, non diſſuadens cum diſſuadere debeat, reticens quodcunque notum facere debeat &c. de quibus infra latiùs.

III. Dictum ſupra, cauſam efficientem principalem eſſe vel remotam vel propinquam. Remota cauſa eſt lex, quæ conatum horum criminum notat. *arg. l. 13. ff. d. his qui not. inf.* ex notatione enim Legis delicta cœpta diſcernenda veniunt, de quibus ſupra in diviſione actum. Sequitur jam cauſa proxima maleficiorum quæ eſt voluntas delinquendi *l. 38. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult.* Cæterum animadvertendum eſt voluntatem in Jure noſtro ambiguè ſumi 1. ſtrictè ac propriè pro nuda mentis cogitatione, atque ita intelligendum eſt illud *Aul. Gelly. l. 7. c. 3. noct. Att.* in Judicium facta non voluntates vocari. 2. latius & minus propriè, pro actu aliquo ad delictum perpetrandum directo in qua ſignificatione accipitur in. *l. 7. C. ad L. Jul. Maj.* ubi dicitur, eadem ſeveritate voluntatem delicti, qua effectum puniri, jura voluiſſe; & Imperatores Arcadius & Honorius volunt, nihil intereſſe inter ambitum cœptum & perfectum, cum pari ſorte leges ſcelus quam ſceleris puniant voluntatem. *l. 1. C. Theod. lib. 9. tit. 26. ad L. Jul de ambit.* Ubi clarè innuitur, voluntatem hic talem intelligi, quæ ad externos actus proceſſit, & in hoc poſteriori ſignificatu accipiendas eſſe ſupradictas leges vult *Cujacius in comm. ad tit. C. de furtis.*

IV. Quemadmodum autem voluntas ita quoque cogitationis vocabulum in Jure non eodem modo ſumitur 1. ſtrictè pro mentis conceptu, & ſecundum hanc acceptionem intelligenda eſt *lex 18. C. de pœnis.* 2. latè, quæ cum facto aliquo externo conjuncta eſt *d. l. 5. §. 4. ad Jul. Maj.* quæ ambiguitates ſi non rectè obſervantur, in multas in explicabiles errorum latebras nos deducent, unde nos expedire difficile erit. In hac materia ubi voluntatem delinquendi cauſam efficientem proximam aſſignavimus

vimus

vimus, intelligimus voluntatem in pleniori ſignificatu, quæ ad effectum quendam ulteriorem producitur, voluntas enim nullo exteriori facto indicata, ſed in mente ſola agitata & retenta in jure nullum producit effectum, uti infra latius apparebit.

V. Reſtat ad hoc reſcriptum D. Hadriani *in l. 14. ff. ad L. Corn. de Sicar.* diſcutiendum: in hac lege expreſſè dicitur quod in maleficiis voluntas ſpectanda ſit non exitus, quæ lex mirè interpretes torſit. *Bachovius vol. 2. diſp. Trentl. 32. th. 1.* voluntatem intelligit in actum jam deductam; Accurſius quanquam in hoc ſibi non conſtans, putat Imperatorem intelligi de eo, qui delinquere voluerit, ſed tamen actum non abſolverit. Rectius videntur ſtatuere, qui particulam *NON in d. l. 14.* comprehenſam non privativè ſed comparativè accipiendam exiſtimant pro *non tantùm* nam d. particula *NON* interdum ſola ponitur per ellypſin ſub intellecta nimirum voce *tantùm*, quemadmodum patet. ex *l. 1. §. ult. ff. de rer. permut.* ubi dicitur. Non id agi quod intereſt, ſed ut, res reddatur, condictioni locum eſſe, quæ lex ſimiliter ita explicari debet, ut hæ particulæ *non* & *ſed* accipiantur pro non *ſolum* vel *etiam*, id quod obſervavit doctiſſimus Pacius in Iſagogicis in Digeſta *lib. 19. tit. 4. n. 7. in fin. junct. l. 1. l. 5. ff. de aqu. quot. & aſt.* Non ergo exitus hic planè excludendus, id quod multas leges ſubverteret, ſed comparativè ſaltem, ita ut ſenſus ſit hujus legis, non ad exitum in maleficiis ſolùm ſpectandum eſſe, ſed præprimis ad voluntatem delinquentis, quæ interpretatio eò magis quoque confirmatur. per *l. 1. C. ſi adv. del.* ubi imperator dicit, non factum tantùm quæri, ſed ex animo venire & æſtimari delicta ſic in *l. 18. C ad L. Iul. de adult.* dicitur. Quod Non effectus ſed animi deſtinatio in ea re cogitatur, id eſt, non effectus tantum, ſed præprimis animi deſtinatio ſeu animus conſiderandus, & ſic quoq; interpretandum illud Pauli JCti. *L. 5. ſentent 32 §. 2.* ubi dicit. Quod conſilium cujusque non factum puniendum ſit; in materiâ delictorum ergo initium facti adeo inſpicitur, ut etiamſi in uno territorio inchoatum fuerit crimen in altero conſummatum v. g. ſi in uno loco vel territorio quis ſtet & ſclopeto interficiat alterum ſtantem in altero territorio, tunc tam

ad judicem iſtius loci, ubi maleficium initium cœpit, quam ad judicem loci ubi crimen perfectum eſt, cognitio ejus delicti ſpectet. *l. 1. C. ubi de crim. ag. oport.* Sic ut operetur præventionem. Brunneman. *in Comm. ad C. d. t. n. 16. 17. 18.* Perez. *in Comm. ad h. t. num. 6.*

VI. His ita declaratis alia ſe offert difficultas circa conſilium, quod in Jure nonnunquam pro voluntate accipitur, uti patet ex *l. 5. C. ad L. Jul. Maj*, ſed hoc non pro voluntate ſimplicẽ propriiſſimè ita dicta, nec proactu ad factum aliquod tendente, ſed pro conſultatione ac deliberatione accipitur in *l. 10. ff. de alien. Jud. mut. cauſ. fact.* 2. interdum pro concluſo & decreto hujusmodi conſultationis ſumitur *l. 2. §. 1. ff. mandat. l. 47. ff. d. R. J.* Et ſic cum proæreſi convenit. In hac poſteriori acceptione conſilium eſt vel fraudulentum ſeu malignum; vel non fraudulentum; & ex hoc nulla oritur obligatio nec actio, cum cuique liberum ſit, explorare, an ſibi expediat conſilium *l. 48. §. ult. ff. Mandat.* Nos loquimur hic de fraudulento, quod eſt vel inſtructivum, quo quis ad delinquendum impellitur (& eſt idem cum eo quod ſupra cauſam delicti impulſivam conſtitui) vel eſt directivum, quod ab altero dirigitur; vel communicativum; ubi ſocii criminum ſeu complices conſilia inter ſe communicant, Dn. Tabor. *tract. aſs. crim. 2. th. 49.* quæ poſtrema ſpecies conſilii ad crimen cœptum vel attentatum proximè accedit, cum non tantum ſimplex cogitatio ſubſit, ſed etiam cogitatum decreto ac concluſo verè approbatum fuerit, idque conſilio jam cum altero communicato. Hujusmodi igitur conſilium alteri communicatum licet nullum factum externum amplius accedat, in crimine perduellionis & Majeſtatis in ſpecie ita dicto, eodem modo habetur ac ſi crimen hoc reverâ perpetratum ſit, id quod maximè ſingulare eſt in hoc crimine, aliâs conſilium ipſius delicti pœna regulariter non vindicatur, niſi cum lex conſilio nominatim vel expreſſo talem pœnam aſſignaverit; Sic lege Julia de vi publica tenetur, qui Seditionis cauſa tantum conſilium inierit.

VII. Obſervandum autem, unum præ altero magis eſſe voluntarium, qua propter accuratè diſcernendum eſt, utrum vo-

luntas libera fuerit, nec turbata principio ſvel intrinſeco ut affectibus vel extrinſeco. In omni enim injuſtitia plurimum intereſt, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt & ad tempus, an conſultò & cogitatò fiat injuria, leviora enim ſunt, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam quæ meditata & præparata inferuntur *Cic. l. 1. offic.* Dependet autem hoc exinde, quod quo magis eligentis Judicium impeditur naturalibus cauſis eò quoq; minùs delinqui *Ariſtot. 6. Ethic. c. 6.* inde minus temperantem dicimus hunc qui motu concupiſcente aut non tentatus aut leviter tentatus quærit enormes voluptates aut mediocria in commoda de fugit eô, qui vehementi affectu percellitur, nam quid idem ille facturus fuiſſe putandus eſt, ſi adfuiſſet vehemens quædam turbatio animi aut gravis dolor ex penuria eorum, quibus negatis, natura doleat' *Ariſtot. l. 7. Ethic. c. 6.*

CAPUT IV.

A quibus delicta attentantur.

THESIS I.

SUbjectum ſunt perſonæ quæ delictum poſſunt committere. Quemadmodum autem crimina vel delicta revera committunt omnes, qui uſu rationis non ſunt deſtituti, ſic delicta nemo niſi rationis particeps attentat, cum ex eodem principio utrumque fluat. Cujuscunque igitur ſint conditionis vel ſexus huc referuntur. Ex quibus liquet non delinquere & per conſequens non poſſe attentare delicta infantes *l. 12. ff. ad L. corn. de ſicar.* infantiæ proximos, cum ætas ipſorum, quid videat' ignoret. *l. 1. C. de ſalſ. monet.* impuberes autem, quando doli capaces ſunt & per conſequens delicti, attentare poſſunt, idque Judicis arbitrio relinqui oportet, cum horum malitia ætatem ſæpè ſuppleat. Eadem ratione ob mentis inopiam, delinquere non poſſunt furioſi, & mente capti, cum eorum nulla ſit voluntas *l. 40. ff. d. R. I.* nec intellectus *§. 9. inſt. de inutil. ſtip.* Sed pro mortuis habeantur *arg. l. pen. §. 1. ff. rem. rat. haber.* niſi dilucido furoris intervallo id committere auſi ſint. *arg. l. 14. ff. de off. præſid.*

II. An

II. An autem crimen à civitate corpore, collegio, vel univerſitate attentari queat, ita ut propterea obligetur, meritò in disquiſitionem venit? id quod affirmativè ſtatuendum eſt, *arg. auth. nulla communitas C. de Epiſc. & cler. arg. l. 9. §. 1. ff. quod met. cauſ. Magir. de advoc. armat. c. 16. n. 766. cum. ſeqq. Grot. de Iure B. & p. l. 2. c. 1. n 6.* ubi expreſſe dicit, quod etiam ob delicta cœpta licet non conſummata civitatibus vel ſuperioribus jus ſit bello ſe invicem ulciſci. Licet autem univerſitas per ſe nomen Juris ſit, ita, ut nec intellectum nec animum habeat *l. 7. ff. quod cujuſc. univerſ. nom.* & conſequenter nec dolo uti *l. 15. ff. de dolo mal.* neque conſentire intelligatur. *l. 1. §. ult. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſ.* quatenus tamen ex civibus ratione præditis conſtat, qui univerſitatis vel civitatis corpus repræſentant, corpus & anima ex multitudine animata collecta & compoſita ei affingitur, ratione cujus vicem perſonæ obtinere dicitur.

III. Quemadmodum autem nemo de civitatum negotiis certi quid judicare poteſt, niſi cognitum habeat, quâ forma & gubernandi ratione quævis Reſp. vel civitas utatur, Ita quoque is, qui judicaturus eſt, an & quatenus univerſitas ex delicto teneatur, ſtatum iſtius Reipubl. probè perſpectum & exploratum habebit; ſi igitur adminiſtratio eſt tota penes plebem, totius plebis conſenſus intervenire debet, quod fit, quando omnibus ejus civibus, per uſitatũ modum vel ſignum aliquod convocatis totus populus vel maxima pars congregata fuerit, & habito conſilio majoribus votis ad aliquid committendum vel faciendum decreverit. *l. 3. ff. quod cujuſc. univerſ. nom. l. 3. ff. de decret. ab ord. fac.* hujusmodi igitur conſenſu deficiente, civitas non tenetur, niſi conſuetudine receptum aut ſtatuto cautum ſit, ut ex facto adminiſtràtorum velut tribunorum plebis, conſulum, aut aliorum, qui totum populum repræſentant, omnes cives obligentur, quod ſi contingat, ut per hęc in damnum incidat, tota univerſitas ſibi imputet, quod tales ſibi præfecerit, cum inconſulta eorum electio cauſa ejus fuerit. *arg. l. 1. ff. de exercit. act.* In optimatum ſtatu, ubi poteſtas penes proceres, regulariter totius populi conſenſu, præter eos, qui de Rep. revera participant, ad obligationem

indu-

inducendam haud opus eſt. Ulteriùs, non ſolùm ex facto ſuo; ſed etiam ex omiſſione quaſi ex tacito conſenſu tenetur univerſitas *Coler. de proceſſ. execut. part. 1. c. 2. n. 275. Meichſner. tom. 4. deciſ. cameral. 21. n. 99. cum ſeqq.* Ut, quando nimirum novit aliquem ex ſuis civibus aliquid machinari contra vicinam Remp. & habet facultatem prohibendi, nec tamen prohibet, eo ipſo crimen contrahit, licet ille ad conſummationem criminis nondum pervenerit; In cujus enim manu eſt ut prohibeat, jubet agi, ſi non prohibet admitti, & poteſtas magna, quæ prohibere ſcelus maximum poteſt, quaſi probat debere fieri, ſi ſciens patitur Perpetrari. *Salvian. de regib.* Et præclarè Cicero *l. 1. offic. in juſtitiæ*, inquit, *duo genera ſunt; unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſunt, non propulſant Injuriam.* Et mox *qui autem non defendit nec obſiſtit, ſi poteſt, Injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut patriam vel amicos deſerat.* Simili modo, ſi civitas aliqua receptum præſtet facinoroſis ob delictum aliquod perpetrandum profugis, ſimiliter ex receptu tenetur, proximi enim ſunt transfugis, à quibus transfugæ recipiuntur. Grot. *de I. B. & P. l. 2. c. 20.*

IV. Ex dictis igitur conſtat civitatem adhibito legitimè conſenſu populi vel eorum, qui ſummam in ea poteſtatem habent, poſſe aliquando delinquere attentando ſaltem crimen, & per conſequens incommodum aliquod loco pœnæ ſuſtinere, velut amiſſionem libertatis, Jurium, & Privilegiorum, per quæ etiam ſinguli innocentes puniuntur, non tamen qua ſinguli in re propria, ſed in re, quæ ad eos non pertinet niſi per univerſitatem quatenus illius corporis membra ſunt. *Grot. l. 2. de I. B. & P. c. 2. 1 n. 10. in fin. Gail. de pac. publ. lib. 2. cap. 9. num. Celſ. Bargalus de dolo lib. 3. c. 1. n. 57. Jul. Clar. in pract. crim. quæſt. 17. num. 8.* non enim plectitur univerſitas, ut de ſingulis ordine pœna repetatur, cum enim hæc Jure conſtet, adhiberi debet ea pœna, quæ jus illud adimat; ut ſi immunitatibus privetur, ſi mœnibus nudetur, ſuis magiſtratibus & legibus interdicatur, & quæ hujuſmodi ſunt ſimilia.

CAPUT V.

De objecto, Forma, & Fine tractans

THESIS I.

VErſatur autem hæc noſtra materia circa facta illicita non ſecus ac quævis delicta, cum hac tamen reſtrictione quatenus ſub notationem legis cadunt; Excluduntur igitur hic talia facta, quæ licet attentata ſint, nullum tamen reſpectum habent ſive directò ſive indirectò ad ſocietatem humanam *Grot. l. 2. de I. B. & p. c. 20.* Quemadmodum autem virtutes & leges quæ juxta Ariſtotelem nihil aliud ſunt quam virtutes armatæ, triplici modo ſe habent nimirum 1. reſpectu Dei 2. in ordine ad ſeipſum, 3. Intuitu proximi, ita quoque facta illicita tanquam vitia his oppoſita eundem reſpectum habent, & tripliciter conſiderantur; nimirum 1. ad verſus Deum committitur Sortilegium, hæreſis, ſacrilegium, Simonia 2. adverſus ſeipſum ſunt intemperantia & delicta carnis, 3. adverſus proximum ſunt illa delicta, quæ committuntur contra Iuſtitiam particularem commutativam, quando unicuique non tribuitur, quod ipſi ex bonis externis debetur. Sunt autem bona externa juxta Ariſtotelem *1. Eth. 1. & 2. Rhet. 3.* itidem in triplici differentia, nimirum Corporis, animi, & fortunæ; Ratione bonorum corporis nocetur proximo in juria reali, ut homicidio, verberibus &c. Ratione bonorum animi nocetur ei corrumpendo filium filias vel ſervum, &c. Ratione bonorum fortunæ nocetur ei furto, incendio, rapina, & quacunque aliâ ratione bona ejus imminuuntur vel deteriorantur. Ceterum non omnes hæ delictorum ſpecies objectum hujus noſtræ tractationis conſtituunt, ſed hæ tantùm, quarum ſolus conatus ſub notationem legis venit, quæ autem tales ſint, intra latius apparebit.

II. Formam quod attinet duo illi requiſita in ſunt 1. Quod attentatio horum criminum debeat eſſe manifeſta 2. ad nocendum præparata vel inſtructa. Tò nocere enim maleficia ab illis delictis, quæ culpa, vel per imprudentiâ aut per ignorantiam

tiam fiunt, diſtinguit, quibus quippe propriè non nocetur ſed damnum aut noxa in fertur; ſi igitur animus nocendi non apparet, formaliter delictum non committitur, quantumvis culpâ vel imprudentiâ fuerit commiſſum *l. 39. ff. de delict. l. 14. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. 7. C. Si adv. del. l. 33. ff. de in Iur.* Ratio hujus eſt, quod nocere pro fundamento habeat dolum malum, quia ratione & deliberato animo provenit, nemo enim nocet niſi qui rationis & deliberationis eſt particeps, quia ratio eſt nocendi Principium juxta Ariſtotelum *l. 7. Ethic. c. 6.* Ex quibus ſequitur, quod quò magis quis excultam habeat rationem, eo magis quoque poſſit nocere, ſi improbitas acceſſerit, quapropter infinitis partibus plura mala nobis inferet homo improbus & verſutus quam fera. *l. 7. Eth. c. 6. libr. 1. Polit. cap. 2. in fin form.* Cum enim velle & poſſe duo actionum humanarum principia hic in uno ſubjecto concurrant, nihil obſtat à parte delinquentis, quo minus præmeditatum ſcelus exequatur. Contra qui rationis uſu deſtituuntur, ut infantes, furioſi, vel ratione planè carent, ut animalia bruta, propriè non nocent ſed cum careant principio nocendi nimirum ratione damnum aut noxam inferunt, ſicut & illi, qui per culpam vel imprudentiam delinquunt, unde noxales actiones. Deinde ipſa *præparatio* ſeu *niſus* ad nocendum eſſentialem hujus delicti differentiam conſtituit, perquam à reliquis conſummatis diſcernitur, de quibus cum jam ſupra in examine deſcriptionis ſatis actum ſit, nolo in his prolixior eſſe. Ex hac autem forma reſultat ipſe finis, qui eſt, ut ipſa præparatio ad maleficium perpetrandum tendat.

III. Quemadmodum autem efficens cauſa propter finem operatur & finis cauſa, eſt cujus gratia aliquid fit; omnibus autem unus in genere finis propoſitus, nimirum boni alicujus gratia laborare, ſive id revera bonum ſit, ſive operantis opinione bonum, ita alius eſt in ſingulis actionibus particularis finis, non unus ſed multiplex, qui tamen omnes ad unum aliquem tendunt, qui eſt omnium perfectiſſimus ac potiſſimus, propria Cujusque rei actio, nulli alteri communis, quo demum con-

 ſecuto

conſecuto ceſſat ab opere efficientis actio; idem quoque in hac materia accidit, ubi finis eſt vel proprius & ultimus, cujus gratia facinus perpetrandum quis in ſe recipit, & in quo machinans crimen ſubſiſtit, nec in eo amplius progreditur, cum non habeat vel induat rationem medii ad alium finem ordinati; vel denique eſt intermedius, ſubordinatus ultimo iſti fini ad quem tendit, cujus etiam reſpectu inſtar medii ſe habet, & horum multi poſſunt in delicto concurrere qui tamen omnes ultimo delinquentis fini ſubſerviunt. Antequam igitur ultimus finis operantis conſtet, de conatu utrum ſit proximus vel remotus non eſt Judicandum, quod ſi de eo appareat tum demum de illo ſtatuendum; Quo propius enim accedit vel longiùs abeſt à fine ultimo, eò magis quoque vel minùs perfectionem criminis attingit. Sic poteſt fieri, ut actio aliqua externa in ſe & abſolutè conſiderata perfecta appareat, ita ut ad ejus implementum nihil amplius requiri videatur, reſpectu tamen habito ad finem ultimum & propoſitum delinquentis, eſt medium ſaltem ad finem obtinendum accommodatum, qui finis aliàs in ſe conſideratus delictum perfectum conſtitueret. Exemplum hujus dabit *lex un. C. de rapt. virg.* hujus criminis finis ultimus eſt ut raptor flagitio potiatur, raptam carnaliter cognoſcendo, antequam autem hunc finem aſſecutus fuerit raptor, forſan impeditus, crimen quadantenus imperfectum eſt, licet jam raptum commiſerit, quanquam raptus ad criminis conſummationem proximè accedat, ſic ut in ſe & abſtractivè conſideratus citra reſpectum iſtius finis, quem ſibi propoſitum habet delinquens, delictum ipſum conſtituere videatur, de quibus infra pluribus dicetur. Hinc apparet ex intentione & fine delinquentis æſtimandum eſſe, num actio externa delictum ipſum conſtituat, an vero ſolum intra terminos conatus ſubſiſtat, quæ ſi nondum ad ultimum finem proceſſit, delictum quoque conſummatum dici nequit.

IV. Licet autem hic finis primum à delinquente intendatur, & ad eum obtinendum media ad illum conducentia ſedulò adhibeat, ſit tamen ſæpiùs, ut hujuſmodi attentata detegantur, vel aliàs quis ab opere cœpto impediatur;

quo-

uominus finem ſibi propoſitum ad deſtinatum exitum perducat; Quoniam autem mali exempli res foret, hujuſmodi auſus impunitos relinquere (cum hoc pacto feneſtra malitiæ & improbitati hominum, quibus quovis modo occurrendum eſt, aperiatur) igitur LLatores huic malo obviam euntes, non immeritò pœnas in maleficiorum attentatores graviſſimas conſtituerunt, de quibus ſequentibus mox, erit agendum.

CAPUT VI.

De Effectu horum maleficiorum.

THESIS I.

Conſideratis principiis horum criminum attentatorum conſequens nunc eſt, ut perſpiciamus qualem effectum in Jure producant. Effectus autem ille conſiſtit in pœna à legibus illis conſtituta, eaque vel ordinaria vel extraordinaria: ſunt quidem & alii effectus ut accuſatio, inquiſitio tortura &c. verum cum ii non ſint peculiares hujus generis delictis & præterea aliundè ſatis conſtent, de his quicquam monere ſupervacuum duximus; De pœna igitur tanquam effectu excellentiori tantùm hic erimus ſolliciti, & id quidem eò magis, quia in his tam diſcrepantes ſunt Dd. opiniones & ſententiæ, ut, qualis nam ſit ex his ſequenda vel amplectenda, planè dubium videri queat; imò plerique hanc materiam velut ſalebroſam prætereunt. Ante quam autem ad tractationem ſingulorum maleficiorum, quorum conatui certa pœna à lege impoſita eſt, accedamus, neceſſariò fundamenti loco de pœnis in genere, tum de attentatis quomodo puniantur, quædam erunt præmittenda; Ubi primò obſervandum, vocabulum pœnæ eſſe ambiguum; 1. Sumitur pro dolore quo vitioſis actionibus homines deterrentur, & in tali acceptione ad Juſtitiam particularem non pertinet, in hoc enim æqualitas non ita conſideratur, ſed ſufficit, ſi expediat Reip. tale factum ita puniri, Ariſtoteles *l. 2. Polit. c. ult.* Proportio enim illa quæ debet eſſe inter delictum & pœnam non ſpectat abſolutè & nudè materiam delicti, ſed habet reſpectum ad finem hunc ut ſocietas humana ſit ſalva, quapropter neceſſe non eſt, ut materia pœnæ

 exactè

exactè reſpondeat materiæ culpæ, ſed ex fine ultimo bono Publico, item transgresſione Legis & inobedientia æſtimanda eſt. Sutholt *diſſ.16.th.37.* Ergo potiùs ad juſtitiā univerſalem referenda; quippe quæ ſpectat Conſervationē totius humanę ſocietatis. Cum igitur pœnæ infligantur in reſpectu ad Remp. neceſſariò ſequitur, quod eo uſque augeri debeant, donec ſufficiant ad deterrendos homines ab ejusmodi delictis, quæ pugnant cum ſalute Reip. Sic ut etiam pro minimo delicto, quod Societati noxium deprehenditur licet haut conſummatum ſit, graviſſima pœna injungi queat; cujus exempla infra dabimus. Sic quoque creſcentibus delictis creſcunt pœnæ; nam non nunquam evenit ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoties nimirum multis perſonis graſſantibus exemplo opus eſt. *l.16.§.10.ff.de pœnis* quin eadem ſcelera in quibusdam locis gravius, alibi mitiùs puniuntur *d. l. 16.§.9.* Sic in rebusp. oligarchicis, ſi ſint injurij in plebem, quam ſi plebs in oligarchicos quid commiſerit; hoc enim facit ad conſervationem ſtatus oligarchici, prout egregiè id docet Ariſtoteles *l.5. Polit. c. 8.*

II. Ex his conſtat Pœnas non eſſe ſemper æquales ſed prout id requirit ſtatus & conditio Reip. ita quoque pœnas in illis diverſas obtinere, quæ etiam cauſa eſt, quare Ariſtoteles cognitionem criminum capitalium & quæ eam inſequuntur condemnationem vel abſolutionem potiùs ad conſultationem vel deliberationem quam ad judicia referre voluerit *l. 4. Polit. c.14. in fin.* 2. Sumitur pro eo quo inæqualitas corrigitur, & hoc modo accepta ad juſtum particulare refertur; hæc autem correctio fit dupliciter 1. quo perveſtigamus magnitudinem delicti ex circumſtantiis, hac æſtimatione perſpecta, tantum lædenti detrahimus & læſo iterum addimus abſque ullo perſonæ reſpectu, idque ſecundum proportionem Arithmeticam; Eleganter hanc æſtimationem vocat Grotius intrinſecam pœnæ taxationem, uti alteram, quæ infligitur in reſpectu ad Remp. extrinſecam appellat.

III. Ex quibus patet, perſonarum reſpectum hic non haberi primariò & per ſe ratione ipſius perſonæ, ſed ſaltem per

acci-

ccidens, quatenus nimirum perſonæ ſunt circumſtantiæ de-
ictum aggravantes vel elevantes, vel ad delictum dijudican-
lum quid facientes, ex perſonæ enim conditione & qualitate
lelictum ipſum venit æſtimandum cum ad ejus ſubſtantiam
ertineat. Rectè igitur in eodem pœnarum genere propor-
io obſervatur, ut mitiùs puniatur honeſtior & qui alicujus exi-
timationis, duriùs plebejus, in quibus tamen non eſt diverſi-
as pœnarum licet apparenter talis videatur, nudè ſcilicet &
bſtractivè conſiderata, ſed eſt ratione æſtimationis eadem pœ-
a, in quam in concreto venit conſideratio conditionis perſo-
æ. Et hoc in Iure noſtro maximè obſervatur, in quo ſæpiſ-
mè uſu venit, ut ex quibus cauſis honeſtiores deportentur,
umiliores vel ſervi in metallum damnentur, vel ultimo ſup-
licio mactentur *l. 1. §. ult. ff. ad L. corn. de falſ. l. pen. ff.
d l. corn. de Sicar. l. 1. §. 3. ff. de abigeis l. 38. §. 2. ff. de pœnis.*
uæ etiam cauſa eſt, quare Grotius jus noſtrum alicujus *προσω-
ποληψίας* (quanquam præter rationem) incuſet. Ex quibus per-
picuum; quo referendi ſint fines pœnarum â Gellio narrati,
uod nimirum pœnæ in fligantur vel in emendationem vel in
xemplum, vel ad exæquationem; duo enim priores fines ad
am pœnam, quæ ob dolorem Reip. cauſa inffligitur; tertius
utem ad correctionem & reparationem pertinent. Fi-
es duos priores Cicero complexus eſt his verbis. *Pœnis
timur contra dilinquentes ne quid poſt hac committant ipſi, cæteri
erò ſint ad delinquendum tardiores* & Plato *l. 34.* In Georg. Con-
enit omnem qui ab aliquo rectè punitur vel ipſum fieri me-
orem utilitatemque percipere, vel cœteris exempla dare, ut
li pœnas aſpicientes meliores efficiantur. Qui au-
em extrema injuſtitia laborant ac propter hujusmo-
i delicta ſunt inſanabiles, non pro eorum utilitate
ant pœnas ſed in exemplum aliorum è medio tollendi ſunt
el ita conſtringendi & debilitandi, ne ampliùs poſſint no-
ere.

IV. Hæ autem cauſæ ſcilicet Punitio & damni repara-
o ſeu inæqualitatis correctio plerumque conjunctæ ſunt,
quan-

quando ſcilicet actus vitioſus fuit, & damnum reipſa datum eſt. & ex his duabus qualitatibus duæ diverſæ naſcuntur obligationes; in hac autem materia delictorum, ubi attentata criminum quoque pœnis ſubiacent, cum in his ſæpè damnum nullum datum ſit, reparatio damni vix locum invenit, delicto enim non conſummato, damnum vel nullum erit vel exiguum & minus eo, quod ex delicti provenit perfectione. Meritò igitur primum locum obtinent delicta conſummata quoad pœnam imponendam, poſtremum, quæ ad actus aliquos ſed non ad ultimum actum proceſſerunt; in quibus tamen tantò quidque gravius reputatur, quo ulteriùs proceſſit. *Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 20.* cum igitur perfecta delicta ſemper ſint imperfectis majora, ſequitur quod regulariter mitior pœna delictis attentatis irroganda ſit *l. ſi quis aliquid §. 1. ff. de pœn. l. 1. §. 1. ff. de extraord. crim. Gail. de pac. publ. l. 1. c. 14. n. 16.*

V. Ceterum non omnis perverſa voluntas facto jam aliquo externo indicata pœnæ locum relinquit, præſertim ſi delictum ipſum, in quod affectus incidit, non ſit ita comparatum, ut per illud Reip. grave vel inſigne detrimentum ſentiat, vel per id ſecuritas publica violetur, ſi enim imbecillia ſeu levia delicta licet opere completa pœnis non ſemper obnoxia ſint, multò minùs conatus eorum puniendus erit.

VI. Vt autem de punibilitate horum maleficiorum certi quid conſtet, ſequentia erunt obſervanda 1. Conatus ſeu intentio agendi in ſola cogitatione conſiſtens nec ordinaria delicti pœna neque extraordinaria in foro civili puniri debet *F. r. Suarez. de l. l. 3. c. 13. l. 46. §. 8. ff. de furt.* Ratio hujus eſt, quod in foro externo pœnam non mereantur, quæcunq; civilem cœtum non turbant 2. Conatus actui externo ad maleficium directo accedens, pœnis civilibus obnoxius eſt; In hac poſtrema regula ſequens diſtinctio erit obſervanda. Vel enim reſpectu agentis delictum eſt conſummatum, ita ut à parte, ejus quantum ipſo fuit pro verè perpetrato habeatur, & à parte patientis ſolum quid intervenit, ob quod inſtar conatus ſe habeat, & hoc caſu conſiderandum, an abſolutè patientis voluntate quid fiat, & quamvis

juxta

cta opinionem delinquentis, qui putat ſe invito id inferre, ſit, men, quia tamen volenti hoc ſit, (cui in Juris non infer- r adeoque formale delicti deeſt,) pro delicto non eſt repu- ndum, nec per conſequens ad pœnam obligatus eſt *§. 8. In- . de oblig. quæ ex del. naſc.* aut vero prævidit patiens in- ationem & animum delinquentis, & hactenus permittit qui- m fieri, ſed non aliter, quam ut ipſum ad huc in flagranti mine deprehendat, & tunc, quia per ipſum non ſtetit ominus delictum perficeretur, ordinaria delicti pœna locum bet *l. 20. C. de furt. l. 9. §. 2. ff. ad L. Iul. de adult.* crimen im hic per fictionem aliquam Juris (quæ & in atrocioribus elictis locum habet) pro perfecto ac completo habetur. *§. 8. inſtit. de oblig. & act. quæ ex del. naſc.* Si autem à par- delinquentis delictum ſaltem eſt attentatum, iterum diſtin- iendum erit: Vel enim conatus impeditur principio vel in nſeco vel ex trinſeco, & delicto vel propior vel remotior eſt; ntrinſeco (quod ſit quando pœnitentia accedit) extraordinaria tem pœna, interdum nulla pro delicti, in quod conatus inci- t, qualitate afficiendus erit, *l 21. §. 7. ff. de furt. l. 11. ff. de in Ius voc.* . *C. de crim. ſtell. l. 19. ff. ad L. Corn. de falſ.* Pœnitentia enim ſu- rveniens licet conſummata delicta in foro exteriori non ex- let, inchoata tamen extenuat. *Menoch. de arbitr. iud. quæſt. caſ.* o. Gœd. *ad l. 225. ff. de V. S.* Quod ſi externo principio fuerit inhi- tus vel impeditus (ut quando nimirum altero reſiſtente vel alijs bſtaculis intervenientibus quis impeditur, quo minùs intentio- em ſuam aſſequatur) ordinaria vel extraordinaria pœna prout mirum delictum grave vel leve, item actus delicto vel propior el remotior, erit puniendus *l. 3. ff. de his qui not. infam. l. 1. ff. de ex- aord. crim. l. 1. §. ult. ff. quod quisque. jur. in al. ſtat. l. 1. §. 3. ff. ad L. orn. de falſ. Conſtit. Carol. art. 178.* Externum enim impedimentum on facit, ut delictum ex parte agentis non habeatur pro com- leto, quia quantum in ipſo fuit, nihil intentatum reliquit, quo- inus perficeretur, adeoque hujuſmodi conatus principio ex- erno ſufflaminatus pro actione completa habetur; ex his prin- ipiis multa decidi poſſunt, quæ circa hanc materiam intricata pparent. Et hæc quæ de Iure civili ita ſtatuta ſunt, etiam ſecun-

dum

quando ſcilicet actus vitioſus fuit, & damnum reipſa datum eſt. & ex his duabus qualitatibus duæ diverſæ naſcuntur obligationes; in hac autem materia delictorum, ubi attentata criminum quoque pœnis ſubiacent, cum in his ſæpè damnum nullum datum ſit, reparatio damni vix locum invenit, delicto enim non conſummato, damnum vel nullum erit vel exiguum & minus eo, quod ex delicti provenit perfectione. Meritò igitur primum locum obtinent delicta conſummata quoad pœnam imponendam, poſtremum, quæ ad actus aliquos ſed non ad ultimum actum proceſſerunt, in quibus tamen tantò quidque gravius reputatur, quo ulteriùs proceſſit. *Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 20.* cum igitur perfecta delicta ſemper ſint imperfectis majora, ſequitur quod regulariter mitior pœna delictis attentatis irroganda ſit *l. ſi quis aliquid §. 1. ff. de pœn. l. 1. §. 1. ff. de extraord. crim. Gail. de pac. publ. l. 1. c. 14. n. 16.*

V. Ceterum non omnis perverſa voluntas facto jam aliquo externo indicata pœnæ locum relinquit, præſertim ſi delictum ipſum, in quod affectus incidit, non ſit ita comparatum, ut per illud Reip. grave vel in ſigne detrimentum ſentiat, vel per id ſecuritas publica violetur, ſi enim imbecillia ſeu levia delicta licet opere completa pœnis non ſemper obnoxia ſint, multo minùs conatus eorum puniendus erit.

VI. Vt autem de punibilitate horum maleficiorum certi quid conſtet, ſequentia erunt obſervanda 1. Conatus ſeu intentio agendi in ſola cogitatione conſiſtens nec ordinaria delicti pœna neque extraordinaria in foro civili puniri debet *F. r. Suarez. de l. l. 3. c. 13. l. 46. §. 8. ff. de furt.* Ratio hujus eſt, quod in foro externo pœnam non mereantur, quæcunq; civilem cœtum non turbant 2. Conatus actui externo ad maleficium directo accedens, pœnis civilibus obnoxius eſt; In hac poſtrema regula ſequens diſtinctio erit obſervanda. Vel enim reſpectu agentis delictum eſt conſummatum, ita ut à parte, ejus quantum ipſo fuit pro verè perpetrato habeatur, & à parte patientis ſolum quid intervenit, ob quod inſtar conatus ſe habeat, & hoc caſu conſiderandum, an abſolutè patientis voluntate quid fiat, & quamvis

juxta

uxta opinionem delinquentis, qui putat ſe invito id inferre, ſit, rimen, quia tamen volenti hoc fit, (cui in Juria non inferur adeoque formale delicti deeſt,) pro delicto non eſt repuandum, nec per conſequens ad pœnam obligatus eſt *§. 8. Init. de obligat. quæ ex del. naſc.* aut vero prævidit patiens inentionem & animum delinquentis, & hactenus permittit quiem fieri, ſed non aliter, quam ut ipſum ad huc in flagranti rimine deprehendat, & tunc, quia per ipſum non ſtetit uominus delictum perficeretur, ordinaria delicti pœna locum abet *l. 20. C. de furt. l. 9. §. 2. ff. ad L. Iul. de adult.* crimen nim hic per fictionem aliquam Juris (quæ & in atrocioribus elictis locum habet) pro perfecto ac completo habetur. *§. 8. inſtit. de oblig. & act. quæ ex del. naſc.* Si autem à pare delinquentis delictum ſaltem eſt attentatum, iterum diſtinuendum erit: Vel enim conatus impeditur principio vel in rinſeco vel ex trinſeco, & delicto vel propior vel remotior eſt; intrinſeco (quod fit quando pœnitentia accedit) extraordinaria ltem pœna, interdum nulla pro delicti, in quod conatus incit, qualitate afficiendus erit, *l 21. §. 7. ff. de furt. l. 11. ff. de in Ius voc. 1. C. de crim. ſtell. l. 19. ff. ad L. Corn. de falſ.* Pœnitentia enim iuerveniens licet conſummata delicta in foro exteriori non exulet, inchoata tamen extenuat. *Menoch. de arbitr. iud. quæſt. caſ. 60.* Gœd. *ad l. 225. ff. de V. S.* Quod ſi externo principio fuerit inhiitus vel impeditus (ut quando nimirum altero reſiſtente vel alijs bſtaculis intervenientibus quis impeditur, quo minùs intentioem ſuam aſſequatur) ordinaria vel extraordinaria pœna prout imirum delictum grave vel leve, item actus delicto vel propior el remotior, erit puniendus *l. 3. ff. de his qui not. infam. l. 1. ff. de exraord. crim. l. 1. §. ult. ff. quod quisque. jur. in al. ſtat. l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de falſ. Conſtit. Carol. art. 178.* Externum enim impedimentum on facit, ut delictum ex parte agentis non habeatur pro comleto, quia quantum in ipſo fuit, nihil intentatum reliquit, quoinus perficeretur, adeoque hujuſmodi conatus principio exerno ſufflaminatus pro actione completa habetur; ex his prinipiis multa decidi poſſunt, quæ circa hanc materiam intricata pparent. Et hæc quæ de Iure civili ita ſtatuta ſunt, etiam ſecun-

D dum

dum rectam rationem ſe habere vix dubitandum; facit huc illud Ciceronis pro Milone *Niſi forte*, inquit, *quia res perfecta non eſt non fuit punienda. Perinde quaſi exitus rerum, non conſilii hominum legibus vindicentur, minùs dolendum fuit, re non perfecta, ſed puniendum certè nihilominus*; item illud Senecæ *injuriam qui facturus eſt jam facit.* Et hoc modo punitur qui immediate in propriâ perſona maleficium attentatum committit.

VII. Cæterum cum hæc rarò ſine aliorum inſtigatione & opera perficiantur, non immeritò diſquiritur; quomodo hi puniendi ſint, qui agentem ad maleficium perpetrandum impellunt; Diximus autem ſuprà, ubi de cauſa impellente horum maleficiorum egimus; alios eſſe directò tales, alios qui ſecundariò & per indirectum hoc faciunt, idq; vel committendo vel omittendo. Directô & quidem faciendo invitat ad delinquendum, qui jubet, mandat, qui auxilium & opem præſtat, qui conſilium ſuggerit vel ſuadet, aut receptum præſtat; qui approbat, conſenſum præbet, item laudat intentionem delinquentis. Secundariò tenetur qui cum injuriam patienti opem ferre debeat, non fecit, vel alias non impedit factū quod impedire poterat, vel cū quis ex jure propriè dicto teneatur vetare, non vetat, non diſſuadet, cum diſſuadere debeat, qui factū reticet, quod notum facere teneatur; & hi omnes quia delicti participes ſe faciunt, ex eo tenentur, licet ad maleficia ad huc inconſummata acceſſerint, dummodo talia ſint, quorum ſola attentatio lege notatur. Jus Canonicum ad tres gradus hæc revocat, primus eſt eorum, qui malum faciunt: Secundus, qui facientibus malum conſentiunt; tertius, qui malum non avertunt, ſi poſſunt & delinquentes non corrigunt. *text. in cap. ita planè 6. queſt. 4. text. in c. tria 12. diſtinct. 45.* Vt autem de facientium & conſentientium obligatione & pœna aliquatenus conſtet, ex jurè repetendum conſenſum eſſe quadrifariam; Primò eſt conſenſus negligentiæ: quando quis delictum impedire poteſt nec facit, minus autē peccat negligens quam faciens *text. in c. qui poteſt 8. item 11. q. 3.* Secundo eſt conſenſus conſilij, ſi quis conſilio delictum adjuvat, & tunc diſtinguendum, utrum conſultor ſine

hujus

ujuſmodi conſilio crimen fuiſſet commiſſurus, & tunc miti- s punitur conſulens quam conſultor. *Menoch. de arbitr. Iud. uaſt. lib. 2. cent. 4, caſ. 351. n. 22.* an verò ex conſilio perpetratum t aliàs non perpetraturus; & hoc caſu æquali uterque pœna am delinquens principalis quam conſultor afficiendus erit. *qui ſervo ff. de furtis Baldus ad l. 1. n. 7. cum ſeqq. C. d. Serv. fugit. Menoch de arbitr. Iud. quaſt. lib. 2. Caſ. 351. n. 17.* Tertio eſt Con- enſus coöperationis ſeu auxilij, & tum diſtinguendum, 1. in- er auxilium proximum & remotum & 2do. inter tempus præ- iti auxilij an ante vel poſt, an verò in ipſo delicto intervenerit; auxilium fuit remotum, tunc quocunque demum tempore llud intervenerit, leviori pœna punitur auxiliator quam de- nquens principalis *Menoch. de arbitr. Iud. quaſt. l. 2. caſ. 349. .9.* Quod ſi verò in ipſo actu delinquendi auxilium præſtatur t quidem proximum, tum uterq. tam principalis quam c- em ferens, pari ſupplicio mactatur, cum par ſit utriusque ulpa *l. 1. ff. de crim. peculat. l. un. C. d. rapt. Virg. l. utrum ff. de par- icid.* Quartô eſt conſenſus autoritatis, perſuaſionis, uando quis mandato, Iuſſu, vel ſimili autoritate & in- inctu ſuo delicto cauſam præbet & tunc iterum diſtinguen- um, utrum mandatarius absque mandato libera voluntate in- uctus delictum ſit perpetraturus, & hoc caſu, quia facto man- antis ſecutum non eſt delictum, levior pœna irroganda erit. *ocin. Iun. conſ. 38. n. 18. l. 2. Alciatus reſponſo 468. n. 4.* Quod ſi erò absque mandato tali interveniente non fuiſſet commiſ- urus delictum, tunc graviùs peccat conſulens quam faciens, uia non ſolum ipſe conſulendo peccat, ſed etiam ſcandalum ræbet *Bartol. in l. non Solum §. ſi mandato n. 8. cum ſeqq. ff. de Iure urando & in l. is qui opem ff. de furtis l. utrum n. 2 3 4. 5. & c. ff. ad L. Pomp. de parricid.* Et hæc non ſolum in delictis verè conſum- natis ſed etiam in inconſummatis obtinere exiſtimo; ut ſi e. g. auxiliator vel conſultor accedant ad maleficium, quod ad uc imperfectum eſt, modo conatus iſtius delicti, in quod con- enſerunt, â lege punibilis ſit declaratus, æquali pœna afficiun- ur, qua ipſe principalis attentans afficiendus venit. *l. un. C. de*

rapt. virg. qua lege conſtitutum, quod non ſolum ipſe delinquens ſed etiam auxiliatores, imo conſcii & miniſtri h. e. qui quovis modo conſilio, manu, re ad hoc perpetrandum aliquid conferunt in ipſo flagranti crimine deprehenſi pœnæ criminis rapt⁹ obnoxii eſſe debeant; & Imperator Conſtant. in *l.3 C.de Iudæis & cœlicolis*, expreſſis verbis ſanxit, quod nemo Judæorum aut cœlicolarum aliquem, qui eorum reliquerit ſectam & ad verum Dei cultum converſus fuerit, ſaxis, aut alio furoris genere lædat, quod ſi quis hoc ſaltem auſus fuerit attentare, flammis dandus & cum omnibus ſuis auxiliatoribus, participibus, concremandus; ex quo textu apparet, quod in hoc crimine non ſolum ipſe principalis attentans, ſed etiam indifferenter omnes omninò participes ſine exceptione flammis tradendi ſint, licet conatus ad huc fuerit remotus id quod verba illa *attentare auſus ſit,* ſatis indicant; in mandante hoc multò minùs dubii habet, mandans enim & mandatarius ſunt correlata, ſic ut utrorumque delictum fermè æqualè ſit. Cum etiam in delictis perfectis hujuſmodi auxiliatores; conſultores, & alii generali conſentientium nomine comprehenſi æquali ſæpè pœna cum principali afficiantur, per ſupra tradita, quare in illis conſentientibus, qui conatui punibili accedunt, diverſum quid ſtatuere lex velit, non video; dicendum itaque, æquali pœna cum principali attentante puniendos eſſe, cum lex pœnæ diverſitatem nullam inter eos conſtituat; quod ſi igitur attentatum alicujus criminis à lege punitur, meritò & tales quoque hujuſmodi conatum adjuvantes vel promoventes puniri debent, idque tamen adhibitis diſtinctionibus, quæ in delictis perfectis quoque locum habere ſupra innuimus. Si igitur accidat, ut conatus mitiori & extraordinaria pœna afficiatur, meritò quoque illum promovere ſtudentes tali pœna afficiendi ſunt, cum hi ex principali agente ſint dijudicandi & æſtimandi. Ratio autem, quare hujuſmodi conſentientes ita teneantur, dependet exinde, quod in maleficiis ſemper pincipium motus conſiderandum ſit, ita, ut in quo illud deprehendatur, is autor facinoris dicatur. Jam vero principium motus (quod eſt proæreſis) tam in uno quam in pluribus concurrit, igitur hic concurſus, dum unus vel plures aliquid conferunt

ferunt

ſtrunt ad principium actionis, facit, ut æquè tam Principalis quam
conſentiens teneantur, quemadmodum in mandante & mandatario
perſpicuum eſt, item in eo, qui conſilium ſuppeditat, vel auxilium
præſtat, quia ex principio inſito concurrunt & actionem
promovent, quo magis autem vel minus quis ad principium
actionis confert, eò magis quoque vel minùs tenebitur & per
conſequens pœnis ſubiiciendus erit.

VIII. Ex hactenus jam dictis apparet, quod & in aliquibus
delictis incompletis ſeu nondum adhuc perpetratis
pœnæ quoque locus ſit, qualia autem hæc delicta ſint, quorum
ſolus conatus pœnis obnoxius eſt, videbimus, neque
enim ſufficere hic poſſunt regulæ quæ à nonnullis Dd. afferuntur:
hæ enim partim nimis ſunt generales, partim nimis reſtrictæ,
ſic ut absque inſigni errore iis inhærere nequeamus; ſic quidam
ſuſtinent, quod in delictis atrocioribus attentata ſaltem puniantur,
cum conſtet etiam in multis levioribus & extraordinariis delictis
hoc uſu venire, id quod infra exemplis declarabitur. Alii affirmant
affectum pari pœna puniri qua delictū ipſum, alii planè contrarium
ſtatuunt, legibus nimirum de affectu in delictis puniendo
loquentibus in tote orbe derogatum eſſe: alij non his derogatum
eſſe in totum volunt, ſed mitigationem ſolum pœnæ ſuadent;
Carpzovius aliquantò propiùs accedit *part.2. deciſ.186.n.18.p.472.*
ubi aſſerit, pœnæ ordinariæ delicti non eſſe locum ob ſolum attentatum
niſi ſequatur effectus, idque Juri civili convenienter, quo
regulariter affectus pœna delicti ordinaria non punitur niſi ſubſequatur
effectus, neque enim ſolus affectus ibi plectitur niſi ubi lex
expreſsè illum notaverit, idquod etiam Carpzovius admittit
quæſt.17. num.13 & ſeqq. dum exceptionem hanc addit, niſi lex
ipſa pœna ordinaria affectum puniat. Qui abrogationem punitionis
urgent, ſe fundant in *Conſtit. Carol. art.178.* in qua cum
jubeantur judices peritiores conſulere, exiſtimant nullam pœnam
hujuſmodi delictis ſtatutam eſſe. Ceterum cum hujusmodi
attentata crimina non uniformiter puniantur, ſed in aliis
durior, in aliis remiſſior pœna ſtatuatur, prout nimirum factum
externum perfectioni criminis aut remotius aut propius accedit,

 quod

quod nam item delictum atrox ſit nec ne non usque quaque expeditum ſit, hancque varietatem & diverſitatem judices præſertim ſimpliciores non capiant, ideoque ipſis dicta Conſtitutione injungitur in hujusmodi caſibus Prudentiores conſulere, ne quid ſcilicet duriùs aut remisſius ſtatuant, quam cauſa poſtulat, quod certè non ſolum in his criminibus inchôatis ſed etiam in perfectis ſæpè obtinet, licet iis certa pœna impoſita ſit, idque ob varietatem & incertitudinem circumſtantiarum, quæ judicis animum diſtractum tenent, nihil ergo ex his certi quid inferri poteſt. Vera autem origo hujus erroris rectè à Citramontanis ſeu ICtis Italis manavit, qui affirmant, legibus de effectu puniendo loquentibus in toto orbe generali conſvetudine derogatum eſſe *Baldus in l. 15. C. ad L. Corn. de ſicar. item. conſ. 361. Gomez. tom. 3. Var. reſolut. c. 3. de homicid. n. 30. Speculator in tit. de accuſatore §. 1. Bartolus in l. 1. ff. ad l. Corn. de ſicar.* qui exiſtimat hoc non à conſvetudinis effectu ſed potius à ſtatutorum diſpoſitione provenire, quoniam tot jam promulgata ſint ſtatuta per omnes fere provincias Italiæ, aliâ quam jus Romanum pœnâ hujusmodi attentata, punientia, ita, ut iſtorum gratia Ius Romanum in his hodie abrogatum appareat; adſtipulatur ei Decius *in l. 2. §. mutui n. 9. ff. ſi cert. pet. it. conſ. 286.* Non adhærendum igitur Dd. opinioni in conſuetudine ſe fundanti: Et licet abrogationem alicubi factam concedi poſſit, tamen hæc non aliter quam ad pœnam ordinariam, quam jus Civile in his delictorum ſpeciebus determinat, reſtringenda eſt, non autem quoad extraordinariam vel judicis arbitrariam, quæ per conſvetudinem abrogata non eſt, *Bartol. Conſ. 443.* Citramontanos exceperunt vel potius in errore ſucceſſere Vitramontani & inter hos primo Galli *Mornac. ad l. 1. quod quisq. Iur. Petr. Rebuff. in Comment. ad Reg. Conſtit. Gall. tom. 1. in proœmio gloſſ. 5. n. 28. 29. &c.* quo loco mordicus defendit generali conſvetudine affectum non puniri ſine effectu; in eadem ſententia eſt *Tyraquell. in celebri tractat. de pœnis ll. cauſ. 28.* Idem error poſtea Germanos quoque ICtos invaſit præſertim Saxones, inter quos ag-

men

me n ducit VVeſenbeclus,qui in paratit. *ad L. Pomp. de parricid.* *& ad L. Jul. de adult.* in eadem ſententia eſt;punitionem ſcilicet ffectus in hoc delicto conſuetudine abrogatā eſſe, quem ICto-um Coriphæū poſtea reliqui interpretes Iuris Soxonici ſecu-untur, ut *Arnold de Reyer, Reuſnerus, Berlichius,* & denique ipſe *arpzovius.* Cœterum cum abrogatio facti ſit, ideoque pro-ande erit, accedit quod interpretes jam dicti circa hoc diſſen-iant, & plurimas Exceptiones ad ferant, quibus effectum ad-uc puniri concedant, conſtitutio denique Carolina talia elicta criminaliter punienda eſſe, ipſo Carpzovio fatente eterminet(ut infr. videbimus) ideoque tutius fecerimus, ſi le-ibus noſtris ſtrictè Inhæreamus, & qualia delicta ſint quorum ttentatis certa â lege vel civili vel Ord.Cr. &c. impoſita pœna t,)perſequamur, præſertim cum conditio aut qualitas hujus ateriæ certis regulis ſe includi difficulter admodum patiatur.

CAPVT VII.

Illas Maleficiorum ſpecies exbibens, quarum conatui à Jure certa pœna ſtatuta eſt.

THESIS I.

GEneralibꝰ præmiſſis progrediendū nunc erit ad illas delictorū ſpecies, quarū conatui Jure civili & Conſt.Car.&c pœna ali-ua ſive ordinaria ſive extraordinaria ſtatuta eſt, Interquæ in or-ine ad Deum occurrit crimen hæreſeos, quod latê patet, ita ut o-nnes hæretici nomine in Iure veniant qui non ſunt orthodoxi; inc non ſolum Manichæi omnium peſſimi, item Pagani, Sama-itæ, & Judæi, Apoſtatæ *l. 1. l. 12. C. d. haret*, ſed etiam illi, qui el levi ſaltem argumento â judicio Catholicæ religionis & tra-ite deviant hoc nomine comprehenduntur *l. 2. C. d. haret.* Diſ-entit VVeſemb. in *paratit. C. ad tit. de haret.* Qui exiſtimat hære-in tantùm cadere in eos qui ſunt ejusdem nobiſcum religionis, ui nec omnes articulos abnegant, ſed ſaltem corrumpunt, non utem judæos, Apoſtatas & alios ſub his comprehendi, quoniam

de hi

de his ſeparatim agatur; Verum, præterquam quod ſupra dicti textus in contrarium ſunt, reſpondendum, quod in Jure non ſit inſolens, ut ſub generali aliquo titulo omnes ſpecies comprehendantur, quæ tamen poſtea ſpecialibus titulis ſeparatim explicantur. Hoc crimen *Iulius Clarus quæſt. 9. 11. Iacob. Menoch. de arbitr. Iud. quæſt. lib. 2. caſ. 360* in ſola cogitatione conſenſu confirmata puniri debere contendunt, quam primum ſcilicet id innotuerit; Ceterum, fides in quantum opus eſt intellectus, Legibus non ſubjicitur, cum directò non cogi poſſit intellectus ad aſſenſum, quapropter qui in religionem privatim peccant, & quorum labes errorum in mente ſola neminem maculat, qui quieſcunt domi & ſilent & ſibi ſaltem ſentiunt, ut eleganter inquit Lipſius, pœnis non ſunt cogendi ut à concepto errore abſtineant. Bene in hanc ſententiam inquit Theodoricus apud Caſſiodorum *l. 2. Epiſt 27. Religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur ut credat invitus*; Et notum eſt illud Bernhardi, quod *fides* ſit *ſuadenda non imperanda.* Præterea laudatur reſcriptum illud Trajani apud Plinium in Epiſtolis *libro 10. Chriſtianos conquirendos non eſſe ſed ſi deferantur & arguantur puniendos* Jure Civili videntur quidem conſtitutæ pœnæ in hæreticos, velut eſt excluſio à dignitatibus, *l. 17. C. de hæret. l. ult. C. de Iud.* teſtamenti factio; hæreditatum & legatorum acquiſitio prohibetur etiam hæreticis *l. 4. l. 12. C. h. t. & l. ult. C. de hæret.* talis etiam eſt negotiationis & Commerciorum interdictio; *l. 4 e. t.* militandi *l. 5. l. 8 eod.* & poſtulandi prohibitio *l. 5. eod.* nec denique ad teſtimonium dicendum admittuntur *l 21. C. eod.* & quæ ſunt plura alia; verùm hæc non tam Pœnæ ſunt quam potiùs ademtiones privilegiorum & Jurium *l. 1. C. de hæret. cum auth ſeq. e. t.* quorum Jactura per indirectum ſaltem coguntur hæretici orthodoxam religionem amplecti. Præterea nec hæc indifferenter ad quosvis hæreticos præſertim infirmitate errantes extendenda ſunt, ſed de iis potiùs, qui pertinaciter opiniones hæreticas defendunt, & præterea turbas agitant, intelligenda ſunt; Velut Donatiſtæ, Manichæi, &c. qui ad ultimam ſcelerum nequitiam pervenerunt *l. 5. C. d. t.*

quos

uos tamen propterea capitali ſupplicio affectos non fuiſſe Wembecius defendit in *paratit. C. ad d. t.* & licet ultimi ſupplicii fiat entio, tamen hoc de amiſſione vitæ non intelligendum ſit, ſed deportatione ſaltem, quæ *l. ult. C. de execut. & exact.* & aliis locis uribus ultimi ſupplicii nomine indigitatur. Sed nec Jure Canonico, alia quam degradationis aut excommunicationis pœna, æ deportationi & exilio in Jure civili reſpondet, obtinet anquam apud Pontificios conſuetudine contrarium obſervar, ubi pœna ignis plerumque locum habet, de qua teſtatur. *Corr. var. reſol. l. 2. c. 10. n. 10.*

II. Ex hactenus jam dictis patet, hæreſin quatenus ſola ani prava opinione conſtat nec latius ſerpit, legibus humanis dicto non vindicari (motuum enim cordis & cogitationum vinx ac Judex eſt Deus, coram quo ſola mente quis hæreticus eſt) æ cogitatio tamen ſi per actus externos ſe prodat, diſſeminan nimirum conceptum in vulgus, & ſic recte credentes ad falm cultum ſeducendo, cum hoc opus voluntatis ſit & ad arbium humanum ſpectet, in his affectus quoque ſolus (licet nonm ſeducti fuerint homines neque vel minimum aſſenſum ei hibuerint) legibus puniendus venit *l. 2. l. 8. §. ult. C. de hæret.* i enim non ſolum ipſi de religione receptisque ſacris male ſenint, ſed etiam alios ad idem credendum inducere tentant meri reprimendi ſunt. Ratio autem quare ſolum attentatum hic iniatur, eſt atrocitas hujus criminis, quo immediatè & primaò Divina Majeſtas læditur, & propterea crimen læſæ Majeſtatis vinæ merito audit. Quod ſi igitur ſolùm attentatum in crine læſæ Majeſtatis humanæ acerbiſſimis ſuppliciis vindicatur, ultò magis eadem hic locum habebunt, cum longè graviùs ſit, vinam quam temporalem offendere Majeſtatem *auth. gazaros de hæret.* Et ex hiſtoria ſacra conſtat, integras gentes ob neglecum cultum & irrepentes ſuperſtitiones, quibus non maturè b viam itum, graviter punitas imò deletas fuiſſe. Cum igitur poeſtates civiles nutricii ſint Eccleſiæ & cura animarum ipſis à Deo Commiſſa ſit; præterea etiam externum regimen in ſacra ipſis competat, Imperatores Chriſtiani turbatores religionis, qui peſtiE ſera

ſera Dogmata publicè vel privatim populo obtrudere audent, vel alias conſilio, ſuaſu, conatu hæreſin promovere, & alios in errorem protrahere ſaltem moliuntur, graviſſimis ſuppliciis meritò coercent.

III. Turbatur autem religio & hæreſis promovetur docendo, ſuadendo, cœtus colligendo, diſputando, ſcribendo edendo libros hæreticos & ſcripta contentioſa, *l. 2. §. 1. l. 8. §. 3. 4. 5. C. d. hæret.* ubi etiam prohibentur ſervari hujuſmodi ſcripta ſacrilega & qui in hoc crimine deprehenſi ad perpetuam deportationem damnari & libri hæretici manu carnificis comburi jubentur *l. 6. §. 1. C. eod.* item qui diſcere ſaltem, legere, aut deſcribere hæc in animum inducat *l. 6, d. l. 8. § 5. de hær. t.* item qui ſynagogas ſtruere novas ſaltem tentaverit. *l. 17. C. eod.* nec non ij, qui muneribus, â quibus prohibentur, ſe ingerere, vel in leges contra hæreticos latas quicquam tentaverint vel conati ſint facere, graviſſimâ mulcta affici debeant. In noſtro Imperio Romano Germanico Conſtitutione Pacis Religioſæ *art. 1. §. utriusq; religionis 49.* idem conſtitutum, ut magiſtratus ſeverè ac rigoroſè prohibeant, ne quisquam publicè aut privatim, docendo, concionando, diſputando, conſulendo pacem religioſam impugnare aut dubiam facere ſaltem conetur, ſed ſi quid dubii occurrat in negotio fidei per utriusque religionis proceres componatur, qui aliter fecerit in pœnam banni declaretur, ſic, ut conſtitutiones religioſæ quoad affectum puniendum cum Jure communi conveniant.

IV. Non ſolum autem Deus graviſſimè his offenditur ſed etiam Reſpublica inſigniter læditur, conſtat enim religionem extra conſiderationem reconciliationis æternæ gratiæ etiam in ſocietate humani generis & præterea in quavis Rep. effectus habere maximos teſte Grotio *d. l. B. & P. l. 2. c. 20. num. 44.* illa enim firmiſſimum eſt vinculum, quo humana ſocietas continetur, id quod etiam Sapientes Ethnici agnoverunt; Divinè Cicero *lib. 1. de N. D.* Pietate adverſus Deum ſublatâ, fides etiam & ſocietas humani Generis & una omnium exellentiſſima virtus tollitur; & Plato religionem appellat propugnaculum poteſtatis ac Legum, & honeſtæ Diſciplinæ vinculum; & Plutarchus religionem

onem vocat coägulum omnis ſocietatis & juſtitiæ firmamen-
ım; quapropter Juſtitiam religione permixtam velut firmio-
m in Hebræorum Rep. Juſtinus deprædicat; id quod etiam fa-
li negotio demonſtrari poterit; cum enim tanta ſit perverſitas
ominum, ut ſolis legibus obtemperare nolint, neceſſe igitur eſt,
aliquid validius eos ſtringat, ac in officio contineat, hoc autem
æſtat ſola religio, præſertim verò Chriſtiana, quâ nulla religio,
ebusp. & Societati civili magis accommodatior exiſtit; illa enim
ercitium omnium virtutum (cujus potiſſimum gratia civitates
onditas eſſe ex Ariſtotele & aliorum ſcriptorum moralium
ofeſſoribus docemur) in perfectiſſimo gradu præcipit, totam-
ie vitam ad morum honeſtatem & integritatem componit,
agiſtratui, parentibus & qui horum loco ſunt, item legibus ob-
quium & reverentiam debitam præſtandam eſſe, injungit;
æterea non ſolum ab omni omninò peccato nos abſtinere, ſed
iam cultores ejus corde & mente (velut ſcaturigine, & fonte
quo omnis malitia proveniat) puriſſimos eſſe vult, annexis his
ſuper graviſſimis pœnis & cruciatibus in immorigeros, & con-
a præmiis ingentibus (quæ duo ſane ſunt firmiſſima fulcra re-
mpubl.) in pios & obedientes conſtitutis, iisque non ſolum tem-
oralibus ſed etiam maximè æternis, Deum præterea abditiſſima-
ım cogitationum mentis ſcrutatorem, & omnium dictorum
ctorumque inſpectorem & auditorem, cui etiam de leviſſimis
ctis cogitationibusq; rationem reddendi obnoxii ſimus; Quod
ım ita ſit, quis non videt maximos ex inde in ſocietatem civi-
m utilitates commoditatesque derivari; unde Conſtantinus
. non ſolùm per multos annos imperium quietè (quod ante-
eſſorum paucis obtigerat) obtinuit, ſed etiam ad poſteros trans-
iſit idque religionis Chriſtianæ beneficio; ſic Carolus M. cum
ixones rebellantes domare armis & legibus non poſſet, ſola re-
gione fregit, Epiſcopatibus conſtitutis. Contra Epicurus cum
ovidentiam divinam & cum ea religionem tolleret, Juſtitiæ
ihil niſi inane nomen reliquit.

V. Cum igitur ex jam dictis conſtet, omnium legum vim
c efficaciam à religione & metu numinis ſolo pendere, quô ſubla-

 tô, &

tò, & illas neceſſariò corruere, ſequitur quod quicunque religionem turbare aggreditur, non ſolùm in Deum ſed etiam in rempublicam, cujus fundamenta ſunt leges, ſummè injurius ſit, quapropter quod in eam committitur ad omnium pertinere injuriam, meritò dicit Imperator *l.4.§.1.C.deberet* Explodendum igitur illud, quod vulgò Tiberio Imperatori adſcribunt, *Deorum injurias Diis curæ fore* quæ verba ab Ethnico principe & ad ſimulationem planè compoſito (qui aliud in lingua promptum aliud vero ſub pectore clauſum habuit) profecta parum attendenda ſunt, non ſecùs ac illud quod dixit; in libera civitate liberas linguas & mentes eſſe debere, cum tamen conſtet nullo unquam tempore Romæ libertatem loquendi magis reſtrictam fuiſſe, ad eò, ut leviſſima quæque verba etiam ab Illuſtribus & propinquis ejus prolata pro crimine læſæ Majeſtatis habita & damnatio ſtatim ſubſecuta ſit, unde tam frequentes delationes, de quibus Tacitus *l.3. & 4. Annal.*

VI. Quamvis autem religionis tam inſignis quoque utilitas in Remp. redundet, fit tamen ut hæc quanquam ex accidenti & extrinſecus peſſimorum hominum malitia malos effectus quandoque producat, ad eo, ut nihil tam ſanctum ac religioſum exſiſtat, quod non ambitione & avaritia mortalium profanetur; ſic tam ex ſacris quam profanis hiſtoriis cognoſcimus reperiri, qui prætextu religionis ſe animis hominum latenter inſinuant, ac per hanc Remp. turbant: ſed hi non tam hæreſin quam per hanc imperium affectant, quique tanto pejores exiſtimandi, dum, cum maximè fallunt, tamen id præprimis agunt, ut viri probi eſſe videantur, idque propterea, ut famâ pietatis honeſtatisque partâ, eò ſecuriùs noceant; ſed hoc execrandum genus hominum ad excidium Eccleſiæ & Reip. natum nulla pœna ſatis digna coërceri poterit; Cum enim hic ſit concurſus criminum læſæ Majeſtatis divinæ & humanæ & præterea ſummus abuſus divini nominis, omnium hæreticorum peſſimi cenſendi: Prudens eſt conſilium Mœcenatis ad Auguſtum quod apud Dionem extat *l.51* Eos verò, inquit qui in divinis aliquid innovant, odio habe &. non coërce, Deorum ſolum cauſa, ſed quia nova quædam numi-

numina hi tales introducentes multos impellunt ad mutationem rerum, unde conjurationes, ſeditiones, factiones & bella funeſta exiſtunt.

Tantùm relligio potuit ſuadere malorum.

VII. Verùm cum tanti Reip. interſit ut religio ſalva ſit idcirco etiam in regnis Pontificiis receptum ut cognitio ſuper crimine hæreſeos ad ſeculare forum pertineat, idque maximè convenienter, primis Imperatorum Chriſtianorum temporibus, qui autoritate conciliorum, quibus ipſi præſidebant, controverſias religionis terminabant & hæreticos damnabant; civili enim poteſtati providendum, ne quid diſcriminis Reip. ab innovata religione immineat.

IIX. Non ſolum autem orthodoxi & myſtica Chriſti religione imbuti Principes & Imperatores, ſed etiam gentiles ab omni ævo id ſollicitè curarunt, ac ſacris ceremoniisq; receptis tuendis ſtrenuè invigilarunt, probè animadvertentes his ſecuritatem ſuam præprimis inniti; ſic apud Athenienſes conſtitutum erat, ut qui verbum modo unicum de religione receptisque ſacris proferret, ſine diſcrimine puniretur; ſic Anaxagoram, Socratem Ariſtotelem ob novitatem religionis ſuſpectos, damnatos fuiſſe legimus. Refert *Plinius lib. de viris illuſtr. c. 2.* Numam Pompilium cultu religionis inter Romanos regnum ſuum firmaſſe ac muniviſſe, ut nec ab exteris bello, aut civibus inſidiis aut conſpirationibus legatur impetitus, eoque feros Romanorum animos quietos ac placidos reddidiſſe, cujus veſtigiis poſtea inſiſtentes Romani regnantes, id præprimis curæ habuere ut religionem à Numa introductam ſartam tectam conſervarent, quam tamen non aliter ac inſtrumentum efficax regnandi inter arcana Reip. habuerunt, quo ſecurius imperarent, populumque, quem legibus non poſſent, religione in officio continerent, ſecum reputantes quantam vim in animis hominum religio obtineat. Hinc Mœcenas vir ſagaciſſimus Auguſto rei Romanæ firmandæ intento, autor fuit, ut populos edictis ad religionem compelleret; & ut deos novos introducere volentes arceret, unde conjurationes, coitiones, & conventicula exiſterent, minimè unius principatui com-

commodæ res. Quod conſilium poſtea inſequentes imperatores ſecuti, omnia ſacra externa prohibebant, unde facta S. C. de Iudaicis Ægyptiisque ſacris pellendis; tot etiam perſecutiones contra Chriſtianos ſuſceptæ, nullam aliam ob cauſam, quam quod omnis novitas ſuſpecta ipſis viſa ſit, præſertim in religionis negotio, & quod ſibi quamquam falsò perſuaderent, per religionis Chriſtianæ introductionem Imperium ipſorum deſtructum iri.

IX. Quod ſi verò gentiles tantam curam adhibuerunt in religione avita quanquam falſa retinenda, omnibus ſacris externis prohibitis, rectisſimè fecere Chriſtiani Imperatores, quod omnes eos, qui contra Chriſtianam religionem per totum imperium dominantē aliquid attentare ſaltem auſi fuerint,(eo præſertim temporis quo omnis generis ſectæ per univerſum Romanum imperium diffundebantur) ſeverisſimè caſtigarint, ſemper enim ſumma ratio eſt, quæ pro religione facit &, maturè huic malo obviam eundum, ſenſim enim ſuperſtitio ſerpit, & mox totum populum inficit, ita ut poſtea remedio non amplius locus ſit.

X. Ad hæreſin quoque refertur jure Canonico Simoniæ crimen *cauſ. 1. q. 7. c. ult.* Ubi dicitur quod omnia crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis quaſi pro nihilo reputentur, & quod ſimoniaci ſint primi ac præcipui hæretici, unde frequentius Jure Canonico appellatur Simoniaca hæreſis; Id autem crimen adeò deteſtandum ut etiam ſolus conatus in eo puniatur *d. c. 1. q. 7. c. 8.* ſic, ut qui ſaltem attentaſſe hoc crimen probatus fuerit, pro turpisſimi lucri Commodo degradetur, imò qui mediator ſaltem hujus criminis extiterit, degradationis periculo ſubjaceat, Spiritus enim Sancti donum precio comparare velle capitale eſt crimen, & ſola voluntate committitur, quapropter interpretes Juris Canonici mentalem ſimoniam eam vocant ad differentiam alterius conventionalis, quæ plenaria reſtitutione, altera pœnitentia tollitur *text. in c. fin. de ſimon. Junct. gloſſ. ibid.*

XI. Inſequitur hæreſin magiæ vel ſortilegij crimen & dicitur in genere maleficium, quo quis adhibitis illicitis artibus ope-

ra dæmonis hominibus aut rebus ipſorum nocet, deludit, aut divinandi artem profitetur de quibus *l. 4.5.6. C. de malef. & mathem.* Idque ipſum tum jure divino *Deuter. c. 18. v. 10.* tum Civili prohibetur *d. t. C. de malef. Conſt. Car. art. 109.* Quomodo autem hoc crimen puniatur *vid. Bodin., de dæmonoman. & Hyeron. Schurf. conſ. 30. cent. 3. num. 2. Ant. Faber. in def. in Cod. de malef.* Quia autem variæ ſpecies ſunt magiæ, ideo etiam varia nomina ei indita ſunt. Qui enim hanc exercent, dicuntur malefici, mathematici, Chaldæi, magi, augures, harioli, incantatores, ſortilegi *l. 5. 6. 7. C. d. t.* dicitur quoque veneficium, quando ſuſurris magicis homines quis occidit *l. . l. 6. C. de mathemat.* Per mathematicos autem intelliguntur, hic non illi, qui ſyderum motus effectusque illorum inquirunt, vel geometricam artem exercent, hæ enim artes Reip. utiles ſunt, *l. 2. C. de malef.* ſed intelliguntur hic tales, qui aſtronomiæ & aſtrologiæ ſcientia abutuntur ad futura prædicenda. Malefici igitur ſi magicis artibus hominibus nocuerint vel elementa turbarint ex conſtitutione Conſtantini pœnâ gladii, *l. 8. C. de malefic.* ſecundum ſanctionem Carolinam igni cremio, *artic. 109.* Qui vero magiam exercent, nemini tamen nocendo, Iudicis arbitrio puniuntur, quia rei illicitæ ſtudent, *l. 2. ff. de vi bon. rapt. Conſtit. Carol. art. 109. Coler. deciſ. 180. num. 7. & 8.* Punitur autem in hoc crimine ſolus affectus nocendi, licet reipſa nondum quis nocuerit, ſi autem illi, qui magicas artes exercent, cum diabolo expreſſum pactum inierint, tunc licet nemini nocuerint neque homines vel beſtias è medio ſuſtulerint, neque fruges aut beſtias incantarint, tamen nihilominus igne abſumendi ſunt. *Exod. 22. v. 8. l. 1. ff. ad L. Pomp. de parricid.* modo de iſto pacto prius legitimè conſtet *Carpzov. in prax. crimin. quæſt. 49. num. 67. Berlich. part. 4. concluſ. 5. num. 38.* Conſtantinus autem ut in totum divinandi curioſitatem aboleret, juſſit aruſpices & ariolos etiam eos, qui illis miniſtrant, ab omnibus domibus excludi, alias concremandos eſſe dicit. *l. 3. C. de malef.* eos autem qui illos conſulunt ex quadam curioſitate, bonis omnibus ademtis deportari juſſit. *d. l. 3.* item qui prohibitam hanc artem diſcunt,

licet

licet nullum damnum ad huc dederint, *l. 1. C. eod.* niſi errorem ejuraverint. & liberos ſuperſtitioſos cremandos tradiderint. *l. 10. C. de Epiſcop. & Cler.*

XII. Hoc autem genus hominum ideo maxime exoſum fuit imperatoribus, quia fata principium ſcrutabatur, & alios ad affectandum imperium inſtigabat, unde *potentibus in fidum, ſperantibus fallax.* Tacito dicitur, meritò igitur extra Romani imperii terminos ſubmotum, & ſi fuerint deprehenſi, tanquam publici hoſtes ac peſtes graviſſimis ſupplicijs affecti ſunt, licet nihil amplius tentaverint, idque ſecuritatis imperantium cauſa ita conſtitutum. Sunt qui exiſtimant inter quos & *Proſper. Farin. Pract. crim. l. 3. quaeſt. 20. num. 89.* hanc ultimi ſupplicij pœnam hodie ceſſare, ſed loco illius incarcerationem aut relegationem in uſu eſſe, præſertim ſi nemini nondum ad huc nocitum ſit, verum *Perezius in Comm. ad C. d. t.* exiſtimat, hanc pœnam pro tanto crimine nimis levem & propterea in certis locis adhuc capitali pœna affici. Certe cum ipſum jus divinum hujuſmodi genus hominum deteſtetur è Rep. penitus extirpandum eſſet. Hoc tamen de iſtis hominibus ſuperſtitioſis, qui certis verbis utuntur, vel ſigillis ac caracteribus, aut etiam amuletis ſuperſtitioſis, aſſerere nolim, illi enim pœnâ extraordinariâ carceris, vel relegationis puniuntur, & clericis melius informandi traduntur. *Carpzov. quaeſt. 50. num. 49. & ſeqq.* & hæc ſunt crimina, in quibus divina Majeſtas immediatè læditur, & in quibus etiam attentata ſola puniuntur.

XIII. Super eſt jam, ut videamus quomodo illi teneantur, qui Majeſtatem ſupremam in his terris lædunt. Eſt autem hoc poſt illud, quod in divinam Majeſtatem committitur omnium graviſſimum, & in quo ſola attentatio admirandos & maximè ſingulares effectus producit, quales in nullo alio crimine ita deprehendere licet, Et eſt duplex; proprie ita dictum, quod aliàs *perduellionis* nomine venit, & immediatè in Rempubl. & eos penes quos ſumma poteſtas committitur *l. 1. §. 1. ff. ad L. Jul.* | *Maj.* ſive poteſtas ea ſit penes unum, ſive penes uno plures; vel *ſimplex* in ſpecie ita dictum, quando ſcilicet quis privato magis odio

in

in principem quid committit, Jura Majeſtatis ſibi arrogando, e. g. monetam cudendo, privatos carceres habendo, &c. Et hæc diſtinctio fundata eſt in *l. ult. ff. ad L. Jul. Maj.*

XIV. Legis Juliæ Majeſtatis tenentur quoque qui in necem conſiliariorum conſpirant *l. 5. C. ad L. Jul. Majeſt.* quia in Partem ſollicitudinis & curarum veniunt cum ipſo Principe, cujus mens tantæ molis non capax, & propterea oculi, manus, pedes ejus appellantur ab Ariſtotele, modò iſta læſio redundet in ipſam rempubl. *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* ex quibus colligunt interpretes non aliter huic locum eſſe, quam ſi in odium Majeſtatis id factum ſit, non vero ſi occaſione alicujus privatæ litis vel controverſiæ eos offendere quis voluerit, quod tamen non admittit Carpzovius *pract. crim. part. 1. quæſt. 41. num. 57 & 58.* & ſufficere exiſtimat ſi conſiſtorio Principis ſaltem interſint cum *d. l.* generaliter loquatur, & quod ſint quaſi pars corporis Majeſtatis, quæ ratio quoque obtinet, ſi in perniciem eorum conſpiratum ſit, etiamſi nullo odio in principem id fiat, quam ſuam ſententiam præjudicio confirmat. Diſſentit *Fachinæus l. 9. controv. 32.* motus præprimis hac ratione, quod nimirum fundamentum hujus criminis ſit Majeſtas, qua careant illi, qui ſunt ipſi à conſilii; facit cum eo *Gothofredus in Comm. ad hanc conſtit. c. 13. & ult.* ubi ex probatis autoribus deducit, quod hæc conſtitutio ad conſiſtorianos, Palatinos, & ſenatores non ſit extendenda absque iniquitate, præſertim ſi ad occaſionem reſpiciamus qua illa Conſtitutio ſit promulgata, quæ fuit ſtabilimentum potentiæ Eutropij Eunuchi, qui in aula Imperatoris Arcadij omnia potuit, & principem ſuum tanquam nervis alienis mobile lignum duxit, quo voluit, ideoque immeritò factum, quod illa Conſtitutio indifferenter Codici Juſtinianeo ſub *tit. ad L. Jul. Maj.* irrepſerit.

XV. In Imperi noſtro an id committatur adverſus Electores & principes meritò disquiritur; pro Electoribus deciſa eſt quæſtio affirmativa in Aurea Bulla *tit. 24.* Quod principes attinet, cum horum non fiat mentio in *d. aurea bulla,* quidam exiſtimant, in eos hoc crimen non committi; Sed animadvertendum, principes Imperij duplicem reſpectum ſuſtinere, qui ex

 duplici

duplici regimine quo imperium adminiſtratur,ex ſurgit 1. enim conſiderantur quatenus ſunt membra imperii, & cum Imperatore de omnibus ſtatum communem concernentibus deliberant, & tali modo conſiderati, cum ipſam Majeſtatem participent, (quæ velut anima in toto corpore tota eſt & tota in qualibet ejus parte) crimen læſæ Majeſtatis revera in eos committitur; vel ſecundo conſiderantur ut ſuperioritatem territorialem habentes, & tum ſaltem analogicè vel impropriè hoc crimen in eos committitur, cum ſuperioritas territorialis ſit tantum analoga Majeſtas. Licet autem diſpoſitio *aur. bull.* Saltem de Electoribus loquatur, ubi pœna gladii & confiſcatio bonorum ſpecialiter in eos conſtituitur, qui in necem eorum conſpiraverint, tamen cùm hæc conſtitutio pœnæ ſaltem, non autem criminis ipſius mentionem faciat, ex inde ad crimen ipſum quoque non erit inferendum, de quibus *Carpzovius part. 1. quæſt. 41. n. 60. cum. ſeqq.*

XVI. Requiritur autem ut ſint ſubditi qui crimen hoc perpetrant; Peregrinus tamen, qui verſatur in alieno territorio, ibique aliquid hoſtile machinatur, quoniam ex conſenſu tacito Juriſdictioni alienæ ſe ſubjicit, ibi forum ſortitur; vaſalli quatenus tales, id non commitunt, cum feudum non includat ſubjectionẽ, ſed ſpeciẽ fœderis inæqualis quodamodo videatur repræſentare *Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 3. n. 23. Magirus de advocatia armata c. 6. n. 689.* Diſſentit *Arniſæus in l. 1. de jur. majeſt. c. 5.* niſi quis feudum poſſideat cum qualitate ſubjectionis, quemadmodum ſunt feuda imperij; ab univerſitete quoque committitur hoc crimen, ut ſi à ſuperiore deficiat, ejusque imperium detrectet, aut alias cum hoſtibus conſpiret *Pekk. in reg. Jur. c. 78. n. 2. Math. de Afflictis decis. regn. Neap. ſec. 9.*

XVII. Conſtituit autem hoc crimen quævis machinatio & factum ad Reip. everſionem & labefactationem tam eorum qui Reip. præſunt, quam per quos ea regitur tendens, quod ſi quis maledictis ſolum principem laceſſierit, lege Iulia Majeſtatis non tenetur, ſed pœna arbitraria ei imponitur *l. un. C. ſi quis imperat. maledixerit.* nec enim lubricum linguæ ad atrocẽ pœnam

pœnam facilè trahendum eſt, quanquam enim temeratij aliquâ pœna digni ſint, tamen ut inſanis illis parcendum eſt. *l. 7. §. 3. ff. ad L. Iul. Maj.* niſi verba iſta tendant ad ſeditionem vel contemtum Principis *l. 1. ff. ad L. Iul. Maj. l. 28. §. 3. ff. de pœnis arg. l. 3. 7. ff. ad l. Iul. Maj.* qui igitur in perniciem Reip. & imperantium quid machinatur, licet id ad effectum non perduxerit, tamen hoc Iudicio tenetur, & quod maximè ſingulare eſt, non ſolum actus proximus qui ad perfectionem delicti tendit eſt punibilis, ſed etiam ille, qui valdè remotè ad illud conſtituendum perficiendumque concurrit v. g. ſiquis ſaltem conſilium inierit contra Remp. vel cum hoſtibus conſilia communicaverit; unde Thuani filio, cum nihil ſe feciſſe contra Regem aut Remp. diceret, objectum, ſatis eſſe, quod Conſilium inierit, externo licet facto nullo acedente; Et nuper Dux Rohaneus antiquâ regiâ ſtirpe prognatus Princeps Lutetiis capite truncatus, non aliam ob cauſam, quam quod ſolùm cum hoſtibus regis conſilia communicare voluerit, interceptis literis ejus; ita ut maximè verum ſit illud Poëtæ.

Quicquid in auguſtos Auſus committere Reges
Vel meditatus erat
Item illud.
Et ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum
Facti crimen habet.

XIIX. Eſt igitur hoc crimen ijs actibus annumerandum, qui validitatem ſuam ab initio accipiunt, qui autem tales ſunt in iis potiſſimum initium ſpectandum *Eberhardus à Middelburg in loc. leg. in loc. à virtute finis n. 8.* quapropter non rei eventu ſed intentione ſola ponderandum, cum ad delicti hujus eſſentiam conſtituendam ſolus affectus ſufficiat, modo conjunctus ſit cum aliquo initio facti, prout voluntatem explicat & intelligi vult *Cujacius ad. tit. ff. de v. ſ.*

XIX. Pœna perduellionis ſtrictè ſic dictæ eſt 1. gladius *l. 5. C. ad L. Iul. Maj.* per *gladium* autem non capitis ſaltem ampu-

 tatio

tatio ſed omne genus ultimi ſupplicii denotatur *l. 3. ff. de Iuriſd. l. 31. ff. ad L. Iul. de ad ult.* Quemadmodum capitis pœna quod vis genus ultimi ſupplicij denotat, uti patet ex *l. 6. §. 4. l. 7. ff. de re milit. l. 8. l. 38. ff. de pœnis.* Utriusque ſpeciei pœna communis olim fuit, ſed non eadem ſemper obtinuit; primis urbis temporibus mortis pœnam irrogatam exempla Horatij & Metij Suffetij comprobant apud Livium; poſt modum exilium, item aquæ & ignis interdictio ſucceſſit; ſed lex quæ damnatis hujus criminis mortem irrogat, poſtea reducta eſt per Syllam, eo diſcrimine, ut humiliores beſtijs objicerentur, honeſtiores gladio punirentur, *Paul. l. 5. ſentent. 29.* Hodie certum genus ultimi ſupplicij ſucceſſit *Conſt. Car. art. 124.* ſectio ſcilicet corporis in quatuor fruſta, quæ in loco commiſſi delicti ſuſpenduntur, quandoq; forcipibus candentibus aduruntur. 2 Obtinet bonorum Publicatio & confiſcatio *l. 9. l. ult ff. ad L. Iul. Maj. Iunct. Conſt. crim. art. 218.* Cum quibus convenit Conſtituti Carol IV. in aurea bulla *c. 24* So ſoll derſelbige als der ander Miſſethat ſchüldig mit den Schwerdt geſtraffet / und alle deſſen Güter unſern fiſco zu eignet werden. Ita, ut bona allodialia ſuperiori ſeu fiſco: Feuda autem domino feudi obveniant. vid. Capitulatio Leopoldi Imperatoris §. 27. Wir gereden und verſprechen euch / daß wir die ChurFürſten / und Stände des Reichs / imgleichem die gefreyete Reichs-Ritterſchafft mit ihren angehörigen Lehn / die ſeyn gelegen / wo ſie wollen / wenn derſelben Vaſallus oder Unterthanen ex crimine læſæ Majeſtatis oder ſonſten dieſelbe verwircke hette / oder noch verwircken möchten / nach ihren willen ſchalten und walten laſſen / keines weges aber dieſelbe zum Käiſerl. Fiſco einziehen / noch ihnen vorige oder andere Vaſallen auffdringen ꝛc. 3: Eſt memoriæ delinquentis poſt mortem damnatio. *l. 5 §. 3. d. l.* 4. filii ex delicto paterno fiunt infames *d. l. 5. Conſtit. Crimi art. 218.* honorum & hereditatum incapaces, ſic ut nihil ipſis ſit ſolatio niſi mors, vita autem ſupplicium *d. l. 5. C. ad L. Iul. Maj.* quod tamen ad nepotes non extendendum *d. l. 5.* cum extenſio in pœnalibus tanquam res odioſa locum non habeat, ſed potius reſtrictio *l. 42 ff de pœnis l. 155. ff. de R. I.* nec ad filias, quia in illis paternum ſcelus non metuitur.

Et

Et hæ pœnæ quoque locum habent, licet ſaltem inchoatum fuerit crimen, modo interior voluntas per externos actus licet remotos patefacta fuerit, niſi enim hoc fieret, & maturè huic obviam iretur, ſerò vindicta pararetur.

XIX. Differentia autem inſignis quoad effectum præſertim deprehenditur inter crimen perduellionis & ſimplex illud læſæ Majeſtatis; hoc enim quandoque pro diverſitate caſuum Pœna capitali absque confiſcatione bonorum punitur *Paul. 5. ſent. tit. 29.* Interdum ſecundum qualitatem facti mitiganda, ita ut relegatio ſaltem locum inveniat *l. 24. l. 40. ff. de pœnis, l. 7 §. 3. ff. ad L. Iul. Mai.* præterea hoc morte extinguitur, & bona ad heredes devolvuntur. *Menoch. conſ. 99. n. 67. & ſeqq Bocer. in tract. de crim. leſ Mai. c. 3. n. 114. cum ſeqq.* in illo perduellionis crimine conſtituitur ob enormitatem criminis, ut reus maneat in reatu etiam pos mortem *l. ult. ff. ad L. Iul. Mai. t. penult. & ult. C. eod.* Imo etiam condemnationis tempus ad initium accuſationis *l. fin. C. ad L. Iul. Mai. l. 20. C. de accuſat.* in poſteriori vero ad tempus vel diem præmeditati ſceleris quo tale conſilium cœpit refertur, ut ita quodammodo ſua mente & propria conſcientia puniatur *l 6. & l. ult. ff. ad L. Iul Mai.* cum enim ſola voluntas cum aliquo actu exteriori conjuncta criminis hujus eſſentiam conſtituat, merito quoque ab ejus initio quo ſcilicet facto aliquo cœpit innoteſcere, tempus delicti computandum erit; Ex quibus ſequitur ex eo tempore quo quis ſaltem de perficiendo hoc crimine cogitavit, alienationes bonorum, venditiones & ſolutiones ab ipſo vel ab alijs factas irritas eſſe *l. 5. §. 4. l. 6. & ult. C. ad L. Iul. Mai. l. 15. l. 31. ff. de donat.* quod in hoc crimine maxime ſingulare, nec in alijs attenditur. Cum autem pœna criminis perduellionis gravior ſit eâ quæ ex illo crimine quod ex altero capite Legis Juliæ deſcendit, & in ſpecie crimen læſæ Majeſtatis vocatur, ſequitur, quod etiam affectus delinquendi, qui in hoc poſtremum ſimplex crimen incidit, mitiori quoque pœna puniendus ſit ac ille, qui ad crimen perduellionis in ſpecie ita dictum tendit.

XX. Non ſolum autem affectus delinquendi criminis perduellionis

duellionis

duellionis ordinaria pœna punitur, ſed etiam iſta pœna ſe extendit ad conſcios hujus criminis, itē mandantes, vel qui alias ope vel conſilio conatum iſtū promovent, & in genere complices & ſocij criminis appellantur, qui eadem pœna afficiuntur, qua principalis ipſe puniendus venit; item filij eorum *l. 5. C. ad ad L. Iul. Maj.* præſtans enim auxilium & Conſilium ad hoc crimen licet in conſummatum fuerit, ordinaria pœna afficiendus erit *l. 5. §. 6. C. ad. L. Iul. Maj.* Quod autem conſcios hujus criminis attinet, ut illi hoc judicio teneantur, ſcientia nuda non ſufficit, ſed talis hic intelligitur ſcientia, quæ eſt inſtar conſilij ſeu voluntatis; ſcientia enim accipitur pro conſilio, item voluntate *l. ſcientia ff. ad L. aquil. l. 1. ff. ſi fam. furt. fec. dic. l. furtum. ff. arbor. furt. cæſ. l. culpa ff. de R. I.* it. talis ſcientia, cum qua conjuncta eſt facultas prohibendi; ſcientia enim ut aliquem effectum punibilem producat, ſine poteſtate prohibendi eſſe non poteſt.

XXI. In hoc Iudicio læsæ Majeſtatis omnibus æqua eſt conditio, ſicut non habeatur ulla ratio dignitatis aut generis *l. 4. C. ad L. Iul. Maj.* quorum tamen ratio habetur in reliquis criminibus, Et ad evitandam quæſtionem nemini prodeſt privilegium *l. 16. 17. C. de quæſt.* Hoc quoque peculiare huic delicto; quod omnes ad accuſandū admittantur, etiam famoſi, ac mulieres, item quod accuſans, & cujus conſilio atque inſtinctu aliquis ad accuſationem acceſſit, ſi hoc crimen probare nequit, tormentis ſit ſubjiciendus *l. 3. C. ad L. Iul. Maj.* & huc pertinet illud Philotæ apud Curtium, *ſi & cum indicamus invisi, & cum tacemus ſuſpecti ſumus; quid facere nos oportet?* Verum ut accuſantes tormenta evitent, non per modum accuſationis, ſed ſuggeſtionis & delationis revelare crimen poſſunt, *Brunnemann. in Comment. ad C, tit. ad L. Iul. Maj.*

XXII. Illud etiam maximè ſingulare in hoc judicio, quod in illo procedatur ſummariè & dè plano ſine ſtrepitu judicii, probationes tamē hic omnino requiruntur, & reus convincendus primò, antequam condemnandus *l. fin. C. ad L. Iul. Maj.* Anton.

ſen. Peregrin. de jure fiſc. lib. 5. tit. 1. n. 171. idq; etiam in aurea bul-
a obtinet *tit. 24. in fin.* Da man befinden würde daß ſo ſolche Per-
ſohnen hieran ſchuldig wären; quæ verba requirunt cognitionem
auſæ; hinc Martianus ICtus ait; rem ejus, qui Majeſtatis reus
ſt, diſtrahi à fiſco non poſſe, antequam condemnatus fuerit
12. ff. de Iur. fiſc. l. 15. ff. qui & à quibus, manumiſſ. ſi autẽ res celeri-
atem deſideret, & tale periculum ſubſit, quod nonniſi exitio de-
nquentium evitari poſſit, reus ſtatim puniendus erit,
nodo de voluntate ejus per actum aliquem conſtet, in tali enim
aſu neceſſitas poſtulat, ut manu potius & imperio militari Reſp.
omponatur, quam proceſſu Juris ordinario *l. 3. ff. Nevis fiat ei
ui in poſſeſſ.* hinc optime à Modeſtino dictum *in l. 16. ff. de appel-
it.* Conſtitutiones quæ de recipiendis nec non appellationi-
us loquuntur, ut nihil novi fiat, locum non habent in eo-
um perſona, quos damnatos ſtatim puniri publicè inter eſt;
ti ſunt ſeditionum concitatores, vel duces factionum. Nam
dverſus ſeditioſos & perduelles opus eſt, ut vim repellamus,
aquit Alexander apud *Curt. l. 8.* ſpectat huc *l. 6. §. 9. ff. de in-
iſt. rupt. irr.* ubi dicitur, quod præ ruptæ Seditiones factiones-
ue cruentæ moram non recipiant, item quod, ordinem ob-
ervare neceſſe non ſit, in quo velox debeat eſſe ſupplicium *l. 2.
C quando unic. lic. fin. Iud.* Exempla reperimus in Hiſtoria Ro-
ana, ubi omnium rerum magnarum Exempla meritiò petun-
ur; ſic Seianus dolo magis quàm principali autoritate, ut lo-
uitur Tacitus, ſub verſus eſt; ſic Imperator Titus Cœcinnam
ercitum ad defectionem Sollicitantem, ſpecie amicitiæ ad
œnam vocatum, ac vixdum triclinium ingreſſum confodi juſ-
t. Sic Perennem à Commodo; Plautianum à Severo ob affe-
atum Imperium ſuſpectos & convictos, ſubitò nec tale quid
pinantes in ipſo conatu oppreſſos legimus apud Hiſto-
æ Auguſtæ Scriptores. Nec in hac re conſvetudine quicquam
utatũ; ſic ſuperiori ſeculo Guiſii fratres in Gallia, ſpecioſo re-
gionis Catholicæ defendendæ colore quæſito, regnum in fami-
m Lotharingicam veluti ex Caroli M. proſapia continua nec
ter rupta ſerie deſcendentem, excluſis Borboniis velut tur-

bato-

batoribus & hæreticis (ut ferebant) transferre cupientes idque palam verbis & facto imprudenter oſtentantes, ambo pariter in conſpectu procerum regni ab Henrico III. Valeſiorum ultimo in ipſo ingreſſu cubiculi Regis inopinatò oppreſſi ſunt Blœſiis, mortuorumque cadavera poſtea concremata. Sed hæc extra ordinem & extrinſecè pro ſalute Reip. ad profligendos nefarios hominum auſus conſtituta ſunt, hujuſmodi enim ſevera exempla utplurimum ſuadet neceſſitas, quæ nullam quidem legem habet, interim tamen omnia legitimè facit; Habet quidem aliquid iniquum omne magnum exemplum, quod tamen contra ſingulos utilitate publica rependitur *Tacit. l. 14. Annal. c. 43.* in qua, teſtè Cicerone, vera & ſolida utilitas continetur; nihil enim aliud eſt tale exemplum quam digreſſio à Jure ordinario, propter bonum publicum, id quod imperantibus licet facere.

XXIII. Poteſt etiam Juſtitia tam celeris punitionis ſolius affectus in hoc crimine aliquo modo intrinſecè defendi ex hoc fundamento. Quodcunque privato in ſummo diſcrimine vitæ conſtituto licet in defenſione propria, illud multo magis toti ſocietati cujus ille ſaltem pars eſt, licebit ſecuritatis ſuæ cauſa facere, cum publica privatis ſint potiora, & ſic anteponenda; Iam conſtat, quod privatus in periculo vitæ inevitabili conſtitutus, aggreſſoris inſultum expectare non teneatur, ſed ſi viderit arma in ſe ſtringi, & præterea in ſultantis animum probè cognoverit, & ſic de periculo vitæ certus ſit, quod niſi cum occiſione alterius evitari aliter non poſſit, tunc, quia melius eſt in tempore occurrere, quam poſt exitum & vulneratam cauſam remedium quærere *l. 1. C. quando liceat unicuiq; ſin. Jud.* rectè facturus videtur inſultatus, ſi primum ictum aggreſſoris (quo vel occidi vel ita vulnerari poſſit, ut ad reſiſtendum amplius ineptus fiat) non expectet, ſed facinus præoccupet, cum vim imminentem necdum ad huc revera intentatam propulſare ac repellere poſſit, etiam cum occiſione vim inferentis *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 1. num. 3. & 6 l. 1. §. 27. ff. de vi & de vi arm.* non enim qui primo ferit adverſarium, cauſam & originem delicti

præbet,

præbet, ſed aggreſſor, qui prius armis alterum violenter in vadit, eumque vita privare conatur. Quod ſi igitur privato qui ſuperiorem recognoſcit & cujus Jus momentaneum eſt, & expirat ſimul atque Judicis copia ſuppetit, hoc à Jure mere naturali conceſſum, ut etiam ob injuriam non factam alterum trucidare poſſit, multò magis id toti ſocietati ob ſui conſervationem (quæ ſingulorũ ſalutem includit) id licebit facere, quippe cujus jus nunquam in hoc ceſſat, ſed perpetuum eſt; accedit, quod privatis in meris terminis defenſionis (ut ajunt) ſubſiſtere datum ſit, quod tranſilire ſine peccato nequeunt; ſumma autem poteſtas præter ad defenſionem etiam jus puniendi habet, ſic, ut non ſolum vim imminentem vel præſentem propulſare, ſed etiam quæ de longo imminere videtur, ſi non directè, ſaltem per indirectum ulciſci queat, licet delictum non perfectum ſit, ſed ſaltem inchoatum. *Grot. d. c. 1. num. 16.* ſero enim vindicta paratur quando damnum vel periculum, quod imminet, tam ingens eſt, ut eo ſubſecuto res reparari nequeat. Injuriæ ergo non factæ ſeu quod idem, delicta inchoata vindicanda ſunt à ſuperiore, ſi delictum in quod affectus incidit, ſit enorme vel atrox, & in hoc eò deventum ſit, ut ex tali actu certum exitium Reip. (etſi nondum illud malum quod intendebatur ſecutum ſit) aut ingens periculum immineat, quod ne moliententis interitu evitari non poſſit, aut aliàs pernicioſo exemplo (quod in Republ. admittere perículoſiſſimum futurum eſſet) ſuccurrendum ſit, ita ut vindicatio conjuncta ſit cum cautione futuræ noxæ præcavendo malum certò imminens, & ſe præmuniendo adverſus certum periculum *Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 26. n. 39.* maximè, cum etiam privatis ob damnum infectum, quod tamen futurum veremur, cautionem ſufficientem quâ indemnitati ipſorum plenè conſulatur exigere liceat; item interdictum ne vis fiat, & alia remedia cautionalia competant. Licet igitur prævenire puniendo & ulciſcendo delictũ cœptum quamvis non conſummatum, idq; non ſolum civitati in Privatos ſeu ſubditos interitum machinantes, ſed etiam adverſus vicinas vel exteras Reſp. quæ damnum vel exitium certum inferre tentant licitum eſt. *Grot. d. c. 1. lib. 2. n. 16.* Dixi autem requiri certum

pericu-

periculum, nam adverſus in certos metus à Deo non à vi remedium petendum, cum metus incertus jus nullum dare poſſit, præſertim cum vita humana ita comparata ſit, ut plena ſecuritas nunquam conſtet; Sic ad imminuendam alicujus vicinæ Reip. potentiam, quæ viribus aucta nocere poſſit, non ſufficit ſola potentia ad bellum inferendum, ſed præterea opus eſt, ut de voluntate nocendi conſtet, aliàs certum non eſt periculnm, cum alterum principiúm humanæ actionis nimirum voluntas deſit, cadit quidem hoc in deliberationem, ſed non ſub ratione juſti ſed utilis ſolum *Grot. de c. 1 n. 17. 18.*

XXIV. Ex cuſsis his ſupereſt, ut paucis quoque videamus quonam fundamento nitatur & quo jure defendi poſſit punitio inſontium liberorum, qui nec conſpirationi interfuerunt, nec ullo modo delicti participes ſe fecerunt, præſertim cum jure commentitio receptum ſit, ut, ſi alicui pœna irroganda ſit, ea ad heredes non tranſeat, *l. 26. ff. de pœnis* & quod peccata debeant manere ſuos autores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum; ratio hujus eſt, quod pœna obligationem præſupponat, obligatio ex merito vel delicto oriatur, meritum autem perſonale quid, cum ex voluntate profluat, qua nihil nobis magis proprium; quin & in *l. 26. ff. de pœnis* expreſſe continetur, quod pœna Paterna nullam maculam filio infligere poſſit, cum quisque ex ſuo admiſſo puniatur, neque criminis novus ſucceſſor conſtituatur, & ibi eſſe pœnam, ubi noxa eſt. *l. ſancimus C. de pœn.* Quæ certè rationes adeo prægnantes ſunt, ut vix quicquam in contrarium adferri queat, præſertim cum autoritas Legum quoque eis ſuffragetur. Verum prædictæ regulæ locum habent in vulgaribus delictis, fallunt interdum in atrocioribus, præſertim in hoc crimine; ratio, quod in eo paterni criminis exempla in filijs metuantur, vel, ut Marcellinus ait: Ne ad exempla parentum ſuccreſcerent. Aliam rationem ad fert Cicero in Epiſt. 11. ad Brutum *ſcelera filiorum Pœnis lui; ſed hoc præ care legibus comparatum eſt, ut charitas liberorum amiciores parentes Reip. redderet, ſcientes, ſcelus ſuum redundaturum in caput liberorum, Itaq; Lepidus crudelis in liberos, non is, qui Lepidum hoſtem judicat.* Parentes igitur cum magis ament liberos quam ſeipſos, ſi liberi ſ3-

i enim ſunt quaſi quipplam ex illis tradente Ariſtotele) ideo-ue in parentum delinquentium magis quam filiorum odium a conſtitutum videtur, Nullum enim eſt durius ſupplicium uam eos qui ex ſe ſunt, ob ſe miſeros ſpectare; quicquid autem ujus ſit, vix eſt, ut ab omni iniquitate hoc defendi poſſit, præ-ertim cum etiam jure divino ob parentum delicta liberi non uniantur *Deut.24.v.16.* niſi dicamus hoc non proprie eſſe œnam, ſed ſaltem per indirectum ac per conſequentiam bo-is parentum delinquentium confiſcatis liberos occaſione deli-ti parentis in commodum aliquod ſentire, dum non habent uod habituri alioqui fuiſſent, ſi parentis bona non fuiſſent onfiſcata, nec enim neceſſe eſt, cum malum infertur ut bonum aufertur, ut delictum ſemper ſit cauſa proxima & nmediata hujus damni, cum etiam occaſione alicujus delicti id eri poſſe conſtet, id quod tamen propriè pœna non eſt; vel dici oteſt cum Grotio, iſtud malum quod liberis ob parentum deli-ta imponitur, ſit potius executio Juris antecedentis quod erat enes auferentem Præterea (ut jus noſtrum ab omni iniqui-ate penitus abſolvamus) hæc ſententia etiam ante *d. l. 5. C. ad L. ul. Maj.* obtinuit, & poſt ſequentia tempora ab Imperatoribus Græcis & nominatim à Leone & Conſtantino Porphyrogeneta etenta eſt, uti conſtat ex *lib.60. baſilicorum tit.36*; demum & hæc uoque in occidente recepta, & à Gratiano Monacho compila-ore Decretorum in Jus Canonicum relata. *Can. 22. cauſ.6. quæſt. 6 it. cap. vergentis de hæreticis*, quæ demum etiam à Carolo IV. in Aurea Bulla confirmata eſt. Præterea hodie ubique obtinet, t liberi ob parentis crimen jacturam honoris, bonorum & alia ncommoda plura ſuſtineant. In nonnullis quoq; locis præterea btinet, ut arma vel inſignia delinquentis deſtruantur *Farin. part. . oper. crim. quæſt 116. §. 1. num. 6.* item ut domus devaſtetur & diruatur usque ad fundamenta *Decianus in tract. crim. l. 7. c. 40. .7. c. 40. n 37. & conſ. 18. n. 142. lib. 1.*

XXV. Videntur autem Romani hæc] hauſiſſe ex Per-ſarum, Græcorum, & Macedonum moribus, apud quos non ſolum inſontes liberi morte puniebantur ſed etiam pœna ſe extendebat ad propinquos, imo ad tertium vel quar-

 tum

tum usq; gradum *Juſtin. lib. 10.* rationem hujus ſuggerit Curtius, quo nimirum triſtiores perirent, qui in Regem peccarent, quanquam hanc legem omnes alias diritate & crudelitate ſuperare exiſtimet Marcellinus. Neceſſitas autem eo adegit Romanos ut tale quid admitterent in ſua Rep. Et primo quidem Auguſtus Monarchiæ Romanæ conditor muniendi novi principatus cauſa proſpiciendique ſuæ ac ſucceſſorum ſecuritati legem Juliam Majeſtatis à patre ſuo adoptivo ita appellatam introduxit, *VVeſenbec. in paratit. ad ff. tit. ad L. Jul. Maj.* quam ſequentes deinde Imperatores, utpote rebus ſuis ſtabiliendis maximè conducibilem, non ſolum ſollicitè obſervarunt, ſed etiam in multis pœnam ejus exaſperarunt, id quod ſummè neceſſarium erat; Illud enim imperium militari licentiæ erat expoſitum, eòque jam erat deventum, ut ab impuri militis voluntate Imperatoris vita & fortuna unicè penderet, unde eveniebat ut quem legiones una die eligerent, paucis poſt diebus vel menſibus militari furore trucidarent, ſemper aliquid in ipſis deſiderabant milites, quod tum præprimis accidit, cum evulgatum eſſet imperii arcanum, quod antea tot involucris ſimulacrisque tegebatur; in *manu militum ſi tam rem Romanam, & penes eos ſolos ſtare, imperatorem ſolio admovere vel deturbare*; Hanc igitur licentiam, ut refrenarent Imperatores dignitatemque iſtam inviolabilem rèdderent, tam exquiſitam pœnam quæ etiam in innocentes liberos redundaret, huic crimini ſtatuerunt, perpendentes, quod etiam ſceleſtisſimi, pro incolumitate liberorum ſubinde quid faciant vel omittant; quod aliàs nunquam facturi vel omiſſuri eſſent; tale quid igitur ſummæ poteſtati propter bonum publicum licet, quæ eo usque in delictis puniendis progreditur, donec pœna ſufficiens repellendis ſceleribus viſa ſit, quanquam non ſemper expediat hujusmodi ſeverioribus remediis uti, cum ſubinde fiat, & neceſſitas temporis poſtulet, ut interdum connivendum ſit; Nam juxta Tacitum in agricola: *omnia ſcire non omnia exequi, nec pœna ſemper ſed pœnitentia contentum eſſe oportere.* Qua propter Tiberius cum aliàs acerrimus eſſet vindex hujus criminis, diſſimulando tamen & connivendo in hoc proceſſit, unde, Tacitus *l. 6 Annalium*: *Quanquam multi è domo* [illegible] *princi-*

principis equiteſque ac ſenatores ſuſtentaſſe opibus, inviſſe conſiliis decerentur, haud quæſitum; poſſunt enim evenire tempora ut conſultiùs ſit abſtinere à ſuppliciis, quam ea vindicare, ſemper enim in decernendis pœnis reſpiciendum, an nimirum expediat Reip. ita puniri & anne medicina plus importet damni quam malum ipſum.

XXVI. Affinis huic maleficio eſt crimen fractæ pacis Publicæ, in quo cum affectus quoque ſolus puniatur, meritò & hoc in diſquiſitionem venit; ſtabilivit autem hanc pacem Maximilianus & per hanc invaſiones, bella, diffidationes in aurea bulla *tit. 17.* ac reformat Frid. III *anno 1442. art. 3 & 4.* certis conditionibus permiſſas, ſed quibus imperium tum temporis valde lacerabatur, ſuſtulit. Landfriedt *1495. art. 1. & 2.* quam conſtitutionem poſtmodum ſecutis comitiis ulterius declaravit; videatur erklärunge Landtfriedens *de anno 1500.* quam etiam confirmavit *Receſſ. 1512. §. 3. & §. 8. 9. & 10.* Carolus V. eandem conſtitutionem non ſolum repetiit, ſed etiam in multis auxit Landtfried *de anno 1521.* auctam renovavit in erklärunge *de anno 1577. item* Laudtfriede *de anno 1548.* jungat. Receſſus *de anno 1551. §. 14. & 15.* Ferdinandus denique & Maximilianus in hoc labore ſucceſſere, qui non minorem quam anteriores Imperatores curam adhibuerunt, ut hæ conſtitutiones per totum imperium in vigore manerent, uti id patet ex multis receſſibus imperij & poſtremo adhuc Rudolphus II. *in Receſſ. 1594. §. 25. usq. ad §. 50.* id præſtitit; Maximè autem eo tendunt conſtitutiones de pace publica, ne ſibi in vicem ſtatus imperii vim publicam doloſè inferant. Caſus autem ſ. modi, quibus pax publica violatur, ſparſim in dictis conſtitutionibus habentur, præcipuè autem ſunt ſequentes; 1 ut diffidationes per totum imperium abrogentur *R. 1564.* §. Dergleichen und dieweil. *41.* 2. Nequis ſtatus contra alterum multo minus contra Imperatorem & imperium fœdus aut conſpirationem ineat. Landfried. *1548. præfat. §. 1. Inſtrum. Pac. Oſnabrug. art. 8. §. 2. in verb. ita tamen, ne ejusmodi fœdera ſint contra Imperatorem & Imperium, pacemq; publicam.* Neque 3. quisquam alterum in bonis tam mobilibus quam immobilibus, reditibus,

 obven-

obventionibus ac alijs quibuscunque juribus ac commoditatibus turbet *allegat.* §. 1. *verſ.* Daß auch keiner. 4. ut nemo ſubditos alterius à fide & obedientia ſui ſuperioris abſtrahat. *d.* §. 1. *verſ.* noch ſeine Unterthanen. 5. Nemo alterius ſubditos ob delicta profugos foveat, vel ſalvum conductum præſtet. Landfried. 1548. *art.* Friedbrecher. 16. §. und nach dem *pen.* & *ult.* Neque 6. pacifragis conſilio vel ope adſit vel per ſe vel per alios, neque vi & facto doloſe alterius arces pagos villas &c. occupet; Landfriedt 1548. *Præfat.* §. *ult.* & *artic.* von auffgerichteten *in princ.* R. 1555. §. ſetzen demnach 14 auxilium vero & opem præſtare dicitur & ille, qui armat⁹ alteri aſſiſtit, licet manus non admoveat, ſed ut ob ejus præſentiam inſultatus timidior, aggreſſor autem animoſior reddatur, nec excuſatur, qui pacifragis jure amicitiæ familiaritatis einen Geſellen Dienſt/præſtat, quoniam amicitia non ex cuſat peccatum. *Gail. l. 1. de P. P. c. 1. n. 44. & 46.* 7. qui bannitum ſeu proſcriptum pecunia commeatu, annona, armis juvat *Gail. de P. P. libr. 2. c. 10. num. 36.* 8. Quilibet alienos ſubditos per ſuum territorium toto ac libere commeare ſinat, nec illos à ſuis offendi vel vim inferri patiatur Landfried. 1548. *præfat.* §. 1. *in fin. verſ.* Sondern ſol einjeder. 9. Qui pacifragos hoſpitio, tecto, menſa, dolo malo recipit aut tolerat. 10. Nemo pacifragi bona ad defendendum ſuſcipiat in horum commodum. Nemo denique paci Oſnabruggo Monaſterienſi conſilio aut ope contraveniat. *Inſtr. Pac. art. ult.* § 3.

XXVII. Quicunque igitur contra hos vel ſimiles in pace publica comprehenſos articulos aliquid committit, pacis publicæ fractor & violator dicitur, nec ignorantia aliquem eximit à pœna ſtatuta, cum ſit ſupina & craſſa, & pro culpa lata habeatur id quod publicè conſtitutum, neſcire *Gail. lib. 1. de P. P. c. 1. n. 11.* violatur autem ſecuritas publica vel absque vi publica & ſine armis, vel cum vi publica, & armatu manu *C. p. 2. tit. 10.* §. 4. absque armis pax publica turbatur ſi quis pacifrago auxilio, conſilio, ope præſto ſit, vel eum tecto aut menſa recipiat, nec perſequatur, ut ex jam dictis patet; quo caſu actor dolo contra pacem publicam quem peccaſſe probare debet, & ſic unum

ſaltem

ſltem nempe *Dolus*, qui vel in omittendo vel in committendo conſiſtit probandus eſt; quod ſi verò armata manu pax publica violetur, tria requiruntur, quæ cum ſuis qualitatibus probanda; *Landtfried 1548. præfat.* §. *1.* ut illata ſit & quidem talis cui reſiſti non potuerit *d.l.1.* vis autem publica non eſt atrox hoc loco prout Gailius exiſtimat, *l. 1. c. 7. n. 1. de P.P.* ſed quæ talis eſt, prout d. conſtitutio requirit, hoc eſt, ut ſit talis, quæ ad ſeditionem & arma ſpectet; omnes enim actiones, quarum finis ad arma & ſeditionem ſpectant, ad hanc conſtitutionem P.P. pertinent, prout recte aſſerit *Gailius lib. 1. de P.P. c. 1. n. 41. 2.* requiritur ut armata manu coactis & coadunatis hominibus fiat *l. 3. l. 4. ff. ad L. Iul. de vi publ.* *2. ff. vi bon. rapt.* quot autem perſonæ ad vim publicam inferendam requirantur, arbitrio judicis relinquendum, qui ex circumſtantiis & qualitate facti id judicabit; arma autem, an ſint haſtæ, gladij, fuſtes, & hujusmodi ſimilia inſtrumenta, nihil attinet, cum per arma hic intelligatur id quod nocere poteſt *l. 9. l. 11. ff de vi* *3. ff. de vi & d. vi armat.* Tertio denique ut actio ſuper fracta pace competat, requiritur propoſitum, dolus malus, & enixa voluntas delinquendi *Landtfried §. 1. & 2.* fürſetzlich freventlich beſchüldigen. Dolus autem hic ex perſpicuis indiciis & evidentia ipſius facti probatur *l. 6. C. de dol. mal.* Et hæc ſunt tria neceſſaria requiſita quæ eſſentiam hujus delicti conſtituunt, quæ ſi ad ſint oritur actio fractæ pacis.

XXIIX. Competit autem hæc tam immediatè quam mediatè imperio ſubjectis, tam ſecularibus quam Eccleſiaſticis, etiam Extraneis *arg. Landtfried 1548.* item violati heredibus *arg. l. 7. §. ult. ff. de accuſat.* Datur contra omnes perſonas imperio ſubjectas, cujuscunque ſint conditionis vel ſexus huic conſtitutioni contravenientes *Gail. l. 1. de P.P. c. 1. n. 34.* tam univerſitates vel corpora quam perſonas privatas *Gail. l. 2. de P.P. c. 92.* perſonæ Eccleſiaſticæ non tenentur quam quatenus bona ſub imperio poſſident, neque enim ratione perſonæ adverſus eos agi poteſt, quoniam Cæſaris jurisdictioni non ſunt ſubjecti. *Gail. l. 1. de pac. publ. c. 1. n. 14.* Nec intereſt bona quæ poſſident an feudalia ſint, an allodialia *Gail. l. 1. n. 13. cum ſeq. arg. l. 3. C. de Epiſ. & cler.* univerſitas tamen ob

crimen

crimen fractæ pacis publicæ plerumque pecuniaria pœna plecti ſolet, idque propter multas perſonas innocentes *Myns cent. 2, obſ. 30. Gail. l. 2. de pac. publ. c 9. n.* 17. ob enormisſimum tamen crimen non ſolùm banniri, privilegiis & bonis privari, ſed etiam funditus everti poteſt *Gail. l. 2. c. 9. n. 27. cum ſeqq.*

XXIX. Illud autem in hac conſtitutione maximè obſervandum, quod contra pacem profanam vel publicam non ſolum delinquat, qui reapſe in eam quid committit, ſed etiam qui contra eandem facere ſaltem conatur, effectu licet nondum ſubſecuto; idque expreſſis verbis reperitur conſtitutum Landtfried *de Anno 1548. art. 3. verb.* oder zu handeln unterſtehen würden & ſic ipſa lex ſeu conſtitutio conatum notat, id quod etiam juri civili convenienter, ubi de vi publica tenetur, qui armatus aliquem in loco publico aggreditur, licet nihil ampliùs nocitum fuerit *l. qui dolo §. fin. ff. ad L. Iul. de vi publ.* ratio ſuprà ſatis aſſignata, quod in atrocioribus delictis, (inter quæ & hoc erit referendum,) propter exemplum ſola attentatio perinde atque effectus puniatur. Qui igitur Dolo malo, dedita opera, coadunatis hominibus vim publicam infert, (hæc enim tria requiruntur conjunctim ut pœna fractæ pacis publicæ obtineat *Gail. l. 1. de P. P. c. 7.*) licet per hanc neminem lædat, ſed ſaltem lædere vel occidere voluerit, neque actualis operatio & uſus armorum acceſſerit *l. 3. §. fin. ff. de vi & de vi arm.* tamen ob enixam voluntatem delinquendi in vaſor rectè ex conſtitutione ſuper fracta pace convenitur, & in Bannum Imperiale declarari poterit, modo conatus iſte cum neceſſarijs ſuis qualitatibus fuerit probatus *Gail. l. 1. de P. P. c. 13.* ſufficit enim terror armorum. Quapropter in decernendis proceſſibus ſuper fracta pace non tam ipſum factum quam nocendi voluntas ſpectatur, cum dolus atque propoſitum maleficia diſtinguat *l. qui iniuria ff. de furt. l. quod R ip. ff. de furt.* Perinde igitur eſt in hoc crimine, an is qui citatur occiderit aliquem, an vero occidere voluerit. Licet autem attenattum tale ſit, ut huic conſtitutioni locus eſſe poſſit, tamen pœna banni in pecuniariam converti poteſt *Gylman. tom. 1. part. 1. pag. 50. num. 14.* quia illa moderatio Cameræ permiſſa Landtfrid 1548.

art.

n. ij. t. 2. t. 10. §. 5. nam ſi in delictis perfectis judici Cameræ permiſſum pœnam banni in pecuniariam convertere *Conſtit. Carol. V. de Ann. 1547.* (quemadmodum etiam aliàs jure communi judex pœnam ordinariam juris ex cauſa mutare & minuere poteſt *Mynſ. cent. 2. obſ. 54. Gail. l. 2 de P. P. c. 9. n. 22. cum ſeqq.* multò magis hoc arbitrium ipſi in attentatis delictis conceſſum erit, cum etiam juxta communem Dd. ſententiam attentatum alicujus delicti mitius puniri debeat *l. 1. §. 1. ff. de extraord. crim.* Quod ſi verò attentatum hujus delicti in crimen læſæ Majeſtatis incidat, (id quod fieri poteſt v. g. ſi quis ſimul contra Imperatorem vel ſtatum totius Imperij aliquid ſeditiosè moliatur. *Blume proceſſ. Cameral. tit. 29. num. 137.*) tunc, quia tale attentatnm pœna ordinaria plectitur, Judicis arbitrium locum non habet, quia pacifragus non tanquam violator P. P. ſed ut reus criminis læſæ Majeſtatis conſideratur, & per conſequens tali pœna afficiendus venit, cum majus delictum ad ſe trahat minus.

XXX. Denique pacem publicam turbant, non ſolum ſupra dicti facientes, imo ſaltem conantes vel attentantes, ſed etiam conſentientes. v. g. mandantes auxilium & opem ferentes, conſilium ſuppeditantes, licet non interſint, ſed per ſuos vim inferri curent, aut etiam fieri patiantur. *Landfried 1548. art. 6. Gail. l. 1. de P. P. c. 1. num. 43.* imò licet à principali attentante crimen non fuerit conſummatum, argumento eorum quæ ſupra diximus de ijs, quorum conſenſus delictis nondum conſummatis acceſſit, modò attentum tale fuerit, prout Conſtitutio hæc requirit, uti jam dictum.

XXXI. Competens, Iudex in hoc crimine eſt aula Cæſarea, vel Camera, vel etiam Iudex loci iſtius ordinarius *Landfried. 1548.* Exceptiones tamen hujus ſunt, vid. *Blum. proceſſ. Camera. tit. 29. num. 121. & 122. cum ſeqq.* Eſt autem bannum imperiale de quo modò diximus (coërcitio) quâ quis ab imperio ita excluditur, ut à nemine in fidem & clientelam recipi, ab omnibus tamen tam in perſona quam bonis ſub imperio ſitis offendi queat. Obſervandum autem, bannum Imperiale ante conſtitutionem pacis publicæ in uſu fuiſſe, & non ſolùm ob violatam hanc pacem

ſed ob alias quoquē multas cauſas decerni, quārum quatuor decim enumerat *Blume in proceſ. Cameral. tit. 39. a. num. 88. ſeq. ad n. 107.* ſic, ut pœna fractæ pacis & Bannū imperiale differant ut genus & ſpecies. Differentia eſt in eo quod in banno in ſpecie & ſtrictè ita dicto præter offenſionem bonorum etiam læſio & offenſio perſonæ, in alio verò, privatio & offenſio omnium bonorum & jurium ſaltem, excluſâ perſonâ, per miſſa ſit. Pœna fractæ publicæ pacis eſt triplex: nimirum 1. bannum imperiale ſtrictè ſic dictum 2. pœna 2000. marcarum auri puri, & 3. pœna reformationis regiæ *Landfried 1548. art. 3. & 4.* Præter jam dictas autem triplices pœnas etiam pœnæ juris communis in hoc crimine obtinent, quæ pro diverſis delictorum qualitatibus etiam variant & in titt. *Digeſtorum de vi publica & ad L. Jul. Maj.* item in *Codice tit. de ſeditioſis* (quæ propterea huic conſtitutioni valde affines ſunt) continentur. Ad ſupra dictas autem pœnas tam fractæ pacis quam juris communis agitur vel cumulativè vel ſeparatim; verum quoniam pœnæ juris communis variant, & plura ſunt facta quæ in actu fractæ pacis publicæ concurrere poſſunt & harum pœnarum quædam corporis afflictivæ, quædam pecuniariæ, iſta cumulatio pœnæ fractæ pacis cum pœnis juris communis intelligenda de pœnis pecuniariis, cum ad pœnas corporales coram ordinario loci, non vero in Camera agi debeat. de quibus late *Blume in proceſſ. Cameral. tit. 43. a. numero 6. ſeq. 14.* ad pœnam autem fractæ pacis quæ triplex eſt, non ſimultaneè agitur ſed electivè, quoniam ſingulæ pœnæ principaliter ad vindicandam violationem pacis publicæ ſunt conſtitutæ. alio quin delinquens duplici pœna afficeretur. *Blume d. t. n. 107.*

XXXII. Inter modos fractæ pacis publicæ refertur etiam diffidatio Germ. Befehdunge / bedreuunge; Differunt autē diffidationes *Arum in diſcurs 6. ad c. 17. aur. Bull. conc. 17. Mindan. de proceſſ. Cam. l. 1. c. 25. ſect. 6.* Diffidationes enim ſunt minæ, ſed non vice verſa; præterea etiam in eo differunt quod minæ futuram, illæ præſentem offenſionem ſpectent. *Carpz. prax criminal. part. 1. quæſt. 37. n. 8.* Eſt autem diffidatio minitatio hoſtilis, qua quis.

per literas ſignum aut ſimile factum inimico ſuo perſecutionem extremam vitæ, ſanguinis, bonorum denunciat, unde pax publica violatur, & totus populus in periculum & timorem conjicitur *Carp. part. 1. quæſt. 37. n. 16.* oportet igitur 1. ad minas factum aliquod externum accedat, idque patet ex conſtit. P. P. item ex conſtit. *Crim. Car. V. art. 128.* 2. ut per eam pax publica turbetur, & inde hoſtilia toti populo vel univerſitati ſint metuenda, quæ duo requiſita conjunctim adeſſe oportet, ſi ex conſtitutione fractæ P. P. contra diffidatores agere volumus, quorum uno deficiente, Conſtitutioni huic non eſt locus; hinc non obtinet hujus conſtitutionis Pœna, ſiquis verbis nudis tantum incendium vel ſimile quid minatur, licet ejusmodi minæ totum populum concernant, deficit enim alterum requiſitum diffidationis nempe factum antecedens, affixio carbonum &c. Similiter non eſt diffidator, quando quidem verbis, literis, aut aliis ſignis vel factis minatur certæ alicui perſonæ tale malum, quod tamen univerſitatem non concernat, quia & hic alterum requiſitum deficit, quod eſt damnum vel periculum toti populo imminens *Carpz. p. 1. quæſt. 39. n. 66. Cam. ſeqq.* Et præterea exploratum eſt, Quoties lex vel ſtatutum plura conjunctim requirit, non ſufficere alterutrum fieri, ſed omnia adimpleri neceſſe eſt. *Gail. l. 1. de P. P. c. 7. n. 10.* Cum igitur diffidatio crimen fractæ pacis publicę ſit, Diffidatores quoque pœna P. P. tenentur *Mindan. de proceſſ. Cam. l. 1. c. 25 ſect. 5. M. deſt. Pist. vol. 1. conſ. 39.* juxta receſſum Imperij Auguſtani *de anno 1555.* pœna diffidationis eſt gladius, *Junct. conſt. Carol. art. 128. & 129.* Et hac pœna etiam plectuntur, qui literas diffidationum ſcribunt vel concipiunt *Conſtit. Ratis. 6. 1594.* ſimiliter qui ſigna hoſtilia & diffidatoria ſuſpendunt, ſcopas, carbones aut hujusmodi ſimilia in pagis vel oppidis affigunt, etiamſi ad actum ulteriorem non procedant, pœna gladij ordinaria afficiuntur *Conſtit. crim. art. 128.* Cum quibus Convenit *Conſt. Elect. Saxonic. verb.* auch ordnen wir daß diejenigen / ſo Brandzeichen außſetzen/ungeachtet / ob gleich von jhnen nichts mehr erfolget/ mit dem Schwerdt von Leben zum Tode ſollen geſtraffet werden / *Carpz.*

 part.

part. 1. queſt. 37. num. 26. qui ex dicta Conſtitutione infert, quod etiam diffidator affigens ſigna inflammationis, licet propoſitum nocendi non habuerit, tamen pœna gladij afficiendus ſit propter conſtitutionis generalitatem, hancque ſuam ſententiam præjudiciis confirmat. *de queſt. 37. n. 30. 31 cum ſeqq.*

XXXIV. Quin non ſolùm ipſis diffidatoribus, ſed etiam eorundem complicibus pœna gladij imponitur *R. I. de anno 1555* §. ſolches alles abzuſtellen verb. So ſollen Unterſchleiffer, Enthalter und Fürſchieber mit gleicher Straffe wie die Außtreter geſtraffet werden. Et hæc pœna etiam in ſolo attentato hujus criminis locum habet, quantumvis diffidatores nihil adhuc dum commiſerint. *Receſſ. Imperii de Anno 1555. §.* Wir ſetzen/ordnen *verb.* unangeſehen ob ſie ſonſt mit der That nichts anders gehandelt. *Junct. Ord. Crim. Carol. V. art. 128. verb.* unangeſehen ob ſie ſonſt mit der That nichts anders gehandelt hetten. Rectè igitur temerè quid attentans quaſi de fracta pace tenetur, & ultimo ſupplicio punitur, id quod etiam Juri civili congruum *l. 10. ff. ad L. Jul. de vi. publ. l. 2. ff. ad L. Jul. de vi priv. l. 12. ff. ad L. Jul. Maj.* Denique diffidationis pœnam incurrit, qui ad mandatum alterius literas diffidatorias offert, aut ſigna inflammationis affigit, Mandantes enim & Mandatarii pari pœna afficiuntur, quod procedit, ſi Mandatarius ſcienter & doloſè hujuſmodi illicitò mandato pareat, cum in omnibus delictis animus & voluntas debeat ſpectari. *l. fraudis interpretatio ff. de R. J. l. divus Adrianus ff. ad l. Corn. de Sicar. Farinan. p. 3. crim. queſt. 86. num. 8.*

XXXV. Quamvis autem ut modo diximus ob ſolas minas diffidator pœna diffidationis non teneatur, tamen alijs remedijs futuræ offenſioni obviam iri poteſt, nempe, ut in carcere tam diu teneatur, donec ſufficientem cautionem fidejuſſoribus & pignoribus minator præſtet de non impoſterum offendendo. *Proſp. Farin. oper. crim. part. 3. queſt. 107. num. 36. VVehner. in pract. obſ. voc.* bevehdert *Arumæus ad cap. 17. Aur. Bull. th. 17. Conſt. crim. art. 178. verb.* Soll dieſelbe unglaubhafftige boßhafftige Perſohne in Gefängniſſe als lange biß die nach Erkäntniſſe deſſelben Gerichts gnugſahme *cautiou*, Beſtand/und Sicherunge für ſolche unrechte thatliche Handlunge thut. *ꝛc.*

XXXVI.

XXXVI. Quæ autem cautio ſit idonea, ex perſonæ minantis conditione, qualitate, potentia æſtimanda & an minas effectui dare conſueverit. *Gail. de P. P. c. 21. num. 17. Menoch. de arbitr. Iud. quæſt. lib. lib. 2. caſ. 146.* eluſoriæ enim minæ non timendæ, cum vana ſit ſine viribus ira. Et hæc obtinent, quatenus minator in meris terminis comminationis ſubſiſtit; quod ſi verò minitatores à domicilio ſuo poſtmodum profugientes ad loca ſuſpecta ſe conferunt, & cum iis ſe congregant, à quibus recepti ope auxilio juvari poſſunt, tunc tanquam diffidatores juxta conſtitutionem fractæ P. P. puniuntur *Conſtit. Crim. art. 128. Petr. Heigius quæſt. p. 2 quæſt. 32. num. 9.* cujus conſtitutionis ratio in his verbis *d. artic. 128.* zu bedrohen oder ſchrecken unterſtehen/ qui enim poſt minas ad loca ſuſpecta ſe conferunt, non minorem hominibus quam per literas diffidationis aut affixionem Signorum hoſtilium metum incutiunt, pœna *d. Conſtit.* ordinaria puniuntur, licet nullum ad huc revera damnum datum ſit, nam voluntas hic non exitus, affectus non effectus ſpectatur. *Conſtit. Crim. art. 128. verb.* Dieſelben wo ſie ins Gefängniſſe kämen/ ſollen mit den Schwerd als Landzwinger vom Leben zum Tode gerichtet werden/ unangeſehen ob ſie ſenſten nichts anders mit der That gehandelt hetten.

XXXVII. Sequitur jam incendium quod itidem graviſſimum crimen & quo Securitas publica violatur, & propterea ultimo ſupplicio vindicatur. De Jure civili variæ pœnæ ſunt conſtitutæ in incendiarios; Diſtinguitur enim ibi inter incendium in civitatibus aut villis ſeu pagis commiſſum, item inter conditionem perſonarum *l. 9. ul. ff. de incend. ruin. nauf. l. 28. §. 12. ff. de pœnis. Mynſing. 6. obſerv. 88. num. 5. & 7.* Conſtitutione Carolina *art. 125.* incendiarijs doloſis uniformis pœna indifferenter impoſita eſt, non attento perſonarum diſcrimine. *Gail. 2. obſerv. 22. num. 6.* Et hæc pœna locum habet, etiam ſi damnum nullum datum, modo materia doloſè poſita & accenſa fuerit, ſic ut ſola attentatio in hoc maleficio puniatur, incendiarij enim malitia hic conſideranda venit, quæ hujuſmodi ſeveritatem pœnæ exigit, accedente periculo majoris incendii, quod facillimè evenire

 potuiſſet;

potuiſſet, niſi maturè exſtinctum eſſet, quapropter hic non tam ad effectum damni, quam ad deteſtabile ſcelus & intentionem nefandam delinquentis reſpiciendum; Vt autem ejusmodi pœna obtineat, requiritur, ut materia igni concipiendo apta in ædibus diſpoſita & inflammata fuerit, licet ipſæ ædes nondum ardere cœperint; quoad incendiarium enim crimen perfectum eſt, licet ipſa flagratiò nondum ſecuta fuerit. per eum enim non ſtetit, quo minùs cœptum ſcelus ad effectum deducatur *Carpz. part. 1. quaſt. 39. n. 39 40. cum ſeqq.* ſi vero materia quidem poſita, ſed non accenſa fuerit, pœnæ extraordinariæ locum eſſe exiſtimat *Colerus 1. deciſ. 186.* Quod ſi pœnitentia accedat, multo levior quoque pœna irroganda erit per ea, quæ ſupra diximus.

XXXIIX. Cum Latrocinium graviſſimum crimem ſit, meritò de hoc quoque erit hoc loco agendum; Eſt autem Latrocinium homicidium lucri faciendi cauſa Commiſſum. In decernenda autem pœna hujus delicti non quantitas ſeu valor rei ablatæ attenditur (nec enim Imperator eam in Conſtitutione criminali determinavit, quemadmodum in furto, ſed generaliter & indefinitè loquitur) ita ut etiamſi latro nihil prorſus lucretur, pœna tamen ultimi ſupplicij locum habeat, & ſufficit, ſi latro ſpe lucri, aliquem aggrediatur, illa enim hoc delictum enorme reddit, non quantitas aut valor *Menoch. de arbitr. Iud quaſt. l. 2. Conſ. 337 n. 14.* idq; etiam in Gallia obtinere teſtatur *Bodinus l. 2. de Rep. c. fin.* adeo ut ob extortum obulum graviſſima ultimi ſupplícii pœna latronem maneat.

XXXIX. Quemadmodum autem in omnibus delictis in quibus ſolus affectus puniendus venit, diſtinguendum eſt inter actum maleficio proximum, vel remotum, ita etiam hic faciendum, ſic ut ſi delinquens ad actum remotum proceſſerit, pœna extraordinaria locum habeat juxta *Conſtit. Carol. art. 178.* Si autē ad actum maleficio proximum & immediatum ipſi latrocinio deventum fuerit, difficilis eſt quæſtio, an tum affectus æquè ac ſi crimen perfectum eſſet, ſit puniendus. Diſtinguit *Carpzovius part. 1. quaſt. 28. §. 77.* Num. latro aggreſſus ſit aliquem

quem intentione ſpoliandi & occidendi eumque ſaltem lethaliter vulneraverit, nihil autem abſtulerit, vel quod impeditus fuerit, an vero vulneratum qui pro occiſo & mortuo à latrone habitus eſt, ſimul ſpoliaverit; Priori caſu pœna gladij: poſteriori etiam multò graviori genere ultimi ſupplicii afficiendum eſſe exiſtimat; reſpectu enim latronis maleficium Conſummatum eſt, cum nihil videatur reſtare reſpectu ejus ad Conſummationem latrocinij, ſi enim ſcivisſet illum ad huc in vivis eſſe, proculdubio occidiſſet, pro ratione igitur circumſtantiarum vel pœna ordinaria vel extraordinaria locum habebit.

XL. Non multum his latronibus abſimiles ſunt prædones, graſſatores, & nocturni Populatores; horum pœna de jure civili eſt ultimum ſupplicium, & ut eorum cadavera in exemplum & terrorem aliorum affigantur, quo prætereuntes admonitià ſpolio in vijs publicis abſtineant *l. 6. ff. de cogn.* in qua lege etſi Calliſtratus de latronibus loquatur, tamē ob identitatē rationis etiam ad hoc crimen extendendum eſſe monet. *Carpzovius p. rt. 2. quæſt. 90. n. 29.* hancque ſuam ſententiam præjudiciis adductis confirmat; an autem ob ſolum attentatum rapinæ effectu non ſubſecuto puniendus ſit delinquens, merito quæritur? Et ob ſolum conatum non niſi pœna Extraordinariæ locum eſſe v. g. fuſtigationis exiſtimat Carpzovius, hancque Suam ſententiam præjudiciis adductis confirmat *part. 2. quæſt. 91. n. 33. cum ſeqq.*

XLI. In furto quoque licet non conſummato pœna ſed non niſi extraordinaria locum habet, Et de jure civili ſaltem injuriarum aut de vi accuſatur *l. 21 §. 7. ff. de furt.* ubi enim non eſt furtum, ibi quoque nec pœna furti locum habebit, cum furtum ſine contractione non fiat *l. 1. ff. de fur., l. 52. ff. eod.* nec enim reus in actu furandi licet deprehenſus nihil ad huc contrectavit, ut etiam effractio violenta & ſeditioſa pœna ordinaria non puniatur, niſi contrectatio & ablatio quoque inſecuta fuerit; hinc ſi nihil abſtulerit aut contrectaverit, ſed in ipſo furandi actu deprehenſus fuerit effractor violentus, ſimiliter pœna ordinaria non punitur *l. 22, ff. de furt.*

Nec-

Nec obſtat. Conſtit. Carol. ubi non effractio violenta laqueo punitur, ſed furtum cum effractione commiſſum, atqui furtum ſine contrectatione non committitur, Effractio igitur absque contrectatione inſtar conatus ſe habet, & ſolum attentatum eſt furti non ipſum furtum, ſolum autem attentatum pœna ſemper ordinaria non puniri ſupra jam dictum. Interim & hic conatus ut in ſimplici furto pœna extra ordinaria vindicatur & plerumque relegatione aut fuſtigatione plecti ſolet *Theodericus in Coll. Crim. 7. diſp. th. 6. l. 6.* Reuſnerus *l. 7. deciſ. 21.* Quod ſi vero quis arcam ſeu capſam ſacram Eleemoſynarum (Germ. ein Almoſen Stock) rumpere aut reſerare ſaltem conatus ſit, & in tali actu deprehenſus fuerit, pœnâ corporis afflictivâ uti fuſtigatione, vel etiam capitis ſupplicio non ſecus ferme ac ſi revera effractio & ablatio inſecuta fuerit, tanquam ſacrilegus afficitur *Conſtit. Carol. art. 123.* Directarii, qui furandi cauſa in alienas ædes divertunt, licet nihil adhuc dum ſubtraxerint, tamen arbitraria pœna puniuntur *l. ſaccularii ff. de extraord. crim.*

XLII. Sequitur jam homicidium, quod eſt vel clandeſtinum vel violentum, & utrumque lege Cornelia vindicatur; clandeſtinum dicitur veneficium, quod hoc loco non generaliter pro ſortilegio & incantatione ſumitur, (quemadmodum etiam illam nefariam artem exercentes venefici & veneficæ dicuntur, de quo genere veneficij ſupra actum) ſed accipitur hic ſpecialiter pro homicidio, quod veneno doloſè committitur. *l. 2. ff. ad L. corn. de ſicar.* quod crimen eſt graviſſimum, cum plus ſit hominem veneno extinguere, quam gladio occidere ut ait imperator Antoninus. *in l. 1. C. de malef. & mathem.* Hujus delicti pœna de jure civili eſt ultimum ſupplicium *l. 1. ff. ad L. Corn. de ſicar.* quæ pœna non ſolum obtinet in eo, qui venenum propinavit, ſed & qui necandi hominis cauſa venenum præparaverit vel vendiderit *l. 3. ff. ad L. Corn. de ſicar.* conſtitutio Carolina graviorem pœnam aſſignavit huic delicto, nimirum ſi vir ſit vivus rota conduudatur, ſi fœmina in aquis ſuffocetur, vel alio ultimi ſupplicii genere afficiatur *artic. 130.* Secundum jus Saxonicum pœna ignis indifferenter obtinet, Landr. *lib. 2. art. 15. poſt med.*

med. *verſ.* Welcher Chriſten Mann oder Weib ungläubig iſt/ oder mit zauberey umbgehet/ oder mit vergifftniß/ und der überwunden wird/ die ſol man auff einer Hörden brennen. *Berlich. part. 4. concluſ. 26. num. 7. 11. & 12. Coler. part. 1. deciſ. 189. num. 11.* Et hæc pœna in veneficiis Conſummatis obtinet, quod ſi vero homicidium non ſubſecutum fuerit, ambigitur, quæ pœna obtineat; ſunt qui exiſtimant, etiã affectum in hoc delicto ultimo ſupplicio afficiendum eſſe, præſertim ſi ad actum maleficio proximum deventum fuerit. *arg. l. 1. ff. ad L. Pompei. de parricid.* ſed contrarium ſtatuendum, ordinariam pœnam in tali caſu locum non habere, cum jure communi pro ſolo attentato in hoc crimine pœna certa ſtatuta non reperiatur, nec obſtat *l. 1. §. 1. item. l. 3. ff. ad L. Corn. de ſicar.* Nam *d. l. 1. §. 1.* loquitur de crimine paricidii per venenum commisſi, in quo ſolus conatus punitur, de quo infra *d. l. 3.* autem loquitur de homicidio ſub inſecuto, unde nihil aliud elicitur, quam pœnis legis Corneliæ de ſiccariis teneri eos, qui venena vendunt, parant, retinent, at cum pœnæ legis Corneliæ variæ ſint, ſequitur, quod propinantes venena, ſi mors inde non ſecuta ſit, pœna extraordinaria ſint afficiendi, neque enim pœna. *d. l. 1.* extendenda eſt; nec contrariatur Conſtitutio Carolina *artic. 130.* ubi tum demum ſupplicium rotæ obtinet, cum mors inſecuta ſit, alias pœnæ extraordinariæ puta fuſtigationis, perpetuæ relegationis, amputationis manus &c. ſaltem locus erit, licet in hoc ad actum proximum deventum fuerit; & hanc ſententiam veluti juri magis conſentaneam amplectitur *Menochius. de arbitr. Iud. quæſt. cent. 4. caſ. 359. num. 4.* qui tamen caſ. ſequenti diſtinguit duos caſus; primus eſt, cum qui tentat veneno necare, venenum quidem emit ſed non propinavit, vel impeditus, vel pœnitentia ductus, & tunc pœnæ extraordinariæ locum eſſe, quoniam is ad actum remotum tantum accesſit: ſecundus caſus eſt, cum quis venenum propinavit, ſed venenatus adhibitis medicamentis mortem effugit, & hoc caſu cum delinquens ad actum maleficio proximum acceſſerit, pœna ordinaria puniri debere vult, quanquam hanc poſtremam ſententiam temperandam & ſic media via in cedendum eſſe exiſtimet.

Et hæc quoque pœna extraordinaria obtinet in iis, qui paſcua, fontes, vinum vel cereviſiam & his ſimilia veneno inficiunt, unde homines vel pecora pereant, licet damnum ad huc nullum datum ſit. *l. 5. C. de maleſ. Moller. part. 4. Conſtit. 18. n. 1, Berlich. concl. 16. n. 12.* ſi igitur horum attentatum, qui unam ſaltem perſonam veneno tollere volunt, pœna extraordinaria vindicatur, multo magis eadem pœna hic obtinebit, cum multò gravius crimen ſit, multos necare velle quam unum.

XLIII. Eadem quoque lege Cornelia de ſicariis vindicatur homicidium violentum, cujus pœna eſt ultimum ſuppliciũ *l. 3. ff. 5. ff. ad l. Corn. de ſicar.* homicida enim ſemper, quod fecit, expectat *l. 3. C. de Epiſc. aut Cl.* eaq; pœna etiam Iuri divino conſentanea *Geneſ. C. 9. levit. 24.* item Conſtitutioni Carol *v. art. 137.* quæ Pœna indifferenter abſque ullo reſpectu perſonarum æqualiter infligitur cujuſcunque ſexus vel conditionis perſonis *l. 5. l. 19. C. ad L. Corn. de ſicar. it. l. 39. de pœnis.* Si autem hujusmodi violenta læſio nondum perfecta ſit, proximè tamen ad actum deſtinata, pœna ordinaria Iure civili non dictatur. Exceptio 1. eſt in eo, qui occidendi hominis cauſa cum telo ambulat, & nil niſi occaſionem illum interficiendi expectat; hujusmodi igitur attentatio pœna ordinaria legis Corneliæ vindicatur, quemadmodum Imperatores Diocletianus & Maximianus reſcripſerunt *in l. 7. C. de publ. Iud.* ratio ſupra aſſignata, quod conſilium cujusque non factum puniendum ſit, *Paul. l. 5. ſentent. 32. §. 2.* in hoc igitur delicto dolus cum conatu conjunctus pro ipſo facto habetur, dum quis cum telo occidendi hominis cauſa ambulat *l. 1. ff. de publ. Iud.* qui enim ita alterius vitæ inſidiatur, parum diſtat â latrone, qui & ex ſolo apparatu attentata alterius invaſione pro tali habetur, dum a parte ipſius nihil ſupereſt, quominꝰ delictum perfectum reputetur 2. Exceptio eſt in eo, qui quidem non occidit, eo tamen animo vùlneravit, ut occideret, pro homicida habetur *l. 1. §. 3. ff. de publ. Iud.* Et ſimiliter in hoc factum cum animo occidendi conjunctum impedimento forte interveniente contra ipſius intentionem inhibitum vel ſufflaminatum, ratione infligentis vulnus delictum ſimiliter pro perfecto habe-

habetur. Quanquam autem hæc Iure communi procedant, Conſvetudine tamen aliud inductum eſſe putat *Viceſenb. in paratit. ff. de publ. Iud. n. 1.* ratio tamen in qua ſe fundat vix videtur ſufficiens; in eadem opinione eſt *Carpzovius part. 1. quæſt. 2. n. 54.* quod ſcilicet leges civiles, quæ conatum in homicidio puniunt, generali conſvetudine ſint ſublatæ, neque etiam inferentem vulnera, licet animo deliberato id fiat, tamen non puniri pœna homicidij ordinaria, ſed tantum de vulneribus teneri.

XLIV. Ad violentam hanc læſionem referri quoque poſſunt duella, in quibus ſi qui etiam interficiantur, moribus obtinet (præſertim in Germania) ut ordinaria homicidij pœna locum non habeat; Contra in Gallia, ubi ob frequentiã dimicationũ magna pars nobilitatis olim abſumebatur, ob bonũ publicũ ſub graviſſima pœna prohibita ſunt, ſic ut non ſolum ordinaria homicidij pœna plectatur qui aliquem duello occidit, ſed etiam conatus licet remotiſſimus mortis ſupplicio vindicetur, v. g. ſi quem ſaltem alterum ad duellum provocaſſe conſtet (id quod remotisſimum adhuc ab ipſo conflictu, multo magis ab occiſione) provocans tamen cum omnibus quorum miniſterio ad hoc uſus eſt, laqueo vel gladio puniuntur; Quod, ſi tam provocans quam provocatus ad deſtinatum locum, dimicandi cauſa ſe contulerint, ibique deprehenſi fuerint, licet gladios nondum ſtrinxerint, atque ita ſaltem remotè ad homicidij conſummationem pervenerint, uterque cujuscunque ille ſit conditionis vel dignitatis ultimo ſupplicio removetur. Similiter & pœna mortis ſtatuta eſt in eos, qui in Palatio regis manum gladio ſaltem admovent, eâ intentione, ut alterum lædant, adeò conatus etiam remotisſimus hic punitur.

XLV. Qua autem pœna plectenda ſit αὐτοχειρία qua quis nimirum ſibi ipſi violentas manus infert, merito hic diſcutiendum venit, maximè cum & hoc delictum prohibitum ſit. Jure divino *Genes 19.* Jure civili *tot. tit. ff. de bon. eor. qui mort. l. liber. homo ff. ad L. Aquil.* non obſtat *l. 9. §. 7. ff. de pecul.* ibi enim nihil aliud infertur, quam quod ſervi de facto hoc faciant, ideoq; ſal-

tem factum denotat, in eo autem, qui ſe ipſum interficere conatur, ab externo tamen principio à propoſito ſuo impeditus fuerit, diſtinguendum eſt; aut enim ex deſperatione, impatientia doloris, tædio longioris vitæ, aut ad evitandas temporales ærumnas & moleſtias id conatus eſt, & tunc nulla pœna afficiendus erit. *l. fin. ff. de bonis eor. qui mort. Declan. in tract. crim. l. 9. c. 3. n. 4.* ſi quis autem alias ob Cauſas, puta ſpe aliquam rem conſequendi fruſtratus, item pudore, metu pœnæ vel ſceleris perpetrati aut ſimili aliqua cauſa violentas ſibi manus in ferre velit, in ipſo autem actu deprehenſus, à maligno ſuo propoſito prohibitus fuerit, tunc pœna extraordinaria arbitrio Judicis puniendum eſſe exiſtimant, *Gomez. de delictis c. 3. num. 14. Farin. part. 5. oper. crim. quæſt. 128. n 38.* moti his rationibus, quod nimirum ſeipſum vulnerans, eadem pœna plectendus veniat, quam ſi alterum vulneraſſet. *l. 3. §. ſi quis autem tadio ff. de bon. eor. Caſtrenſ. in l. 2. C. qui teſtam. fac. poſſ.* deinde quod hodie ſecundum conſuetudinem (nam de Jure civili ſecus eſt) in homicidio attentato pœna ordinaria non puniatur. *Bartol. in l. 3. §. divus. ff. ad L. Corn. de ſicar.* minus enim videtur offenſa Reſpubl. quamdiu mors non evenerit. Non obſtat *l. omne delictum §. 7. ff. de re milit. it. l. 38. §. 12. ff. de pœnis.* Illi enim textus loquuntur de militibus qui ob tentatam ſaltem mortem graviori pœna plectuntur, cum gravius delictum committant in eo, quod majorem animi fortitudinem atque conſtantiam præ ſe ferre debeant, tamen tanquam vilis & abjecti animi homines mortem potiùs quam vitam vitandarum ingruentium calamitatum cauſa præoptare maluerint, quæ pœna propter Exemplum meritò in eos ſtatuta. Aliud eſt ſi cœdes ipſa inſecuta fuerit, tunc enim illis qui fraudulenter ſine furore, melancholia, aut impotentia ſolo pœnæ vel ſcelerum metu ſe ipſos interfecerunt, ſepultura honeſta denegatur, & in locum infamem atque cadaveribus punitorum deſtinatum, modò in reatu fuerunt, projiciuntur; imò, quod plus eſt, eorum cadavera interdum ſuſpenduntur, rotæ affiguntur, vel comburuntur, quando nimirum poſt ſententiam ſe ipſos interfecerunt, vel in carcere mortui reperiuntur. *Hahn. in obſervat. ad VVeſenbec. tit. ad Leg.*

Cornel.

Cornel. de Sicar. num. 7. ad verb. an verò, qui ſe ipſum. Petr. Heigius l. 2. quaſt. 36. n. 64. quaſt. 37. n. 32. & ſeq.

XLVI. Parricidium cum atrociſſimum crimen ſit, de eo quoque paucis pro inſtituti ratione erit agendum; ſciendum autem quod lex de parricidiis à Cornelio Sylla lata *l. 2. §. 32. ff. de or. Iur.* ſaltem de cœde parentum & qui ſunt in linea aſcendenti, atque ita propriè ſic dictis parricidiis concepta fuerit, tandem ea a Cn. Pompeio M. lege hujus nominis lata, ad collaterales quoque (per abuſionem quandam ut loquitur *Quintilianus l. 8. inſtit. orat. c. 8.*) extenſa fuit *l. 1. ff. de publ. Iud.* Quæ tamen poſtea à Conſtantino ad cædes parentum & liberorum, item conjugum reſtricta eſt, & ab alijs cognatione vel affinitate conjunctis quos hujuſmodi perſonas necantes pœnam ſaltem ſimplicem legis Corneliæ de ſicarijs ſuſtinere voluit, diſtinxit, quæ conſtitutio poſtea ab Imperatore Juſtiniano probata eſt in *inſtit. de publ. Iud. §. 6. l. un. C. de his qui parent. vel lib. occid.* Quanquam hæc pœna in deſuetudinem abiit, & loco ejus alia pœna vel gravior vel mitior pro regionis & loci Conſuetudine infertur. Extendit autem hanc pœnam parricidij Imperator *Inſtit. verſ. Nec non is. &c.* etiam ad extraneum, cujus dolo malo parricidium factum, qui mandavit, aut opem tulit *§. fin. Inſtit. mandat.* it. ad eum qui conſcius ſaltẽ hujus criminis fuerit *l. 6 ff de publ. Iud.* Imo ob deteſtabilem malitiam hujus criminis etiam conatus ordinaria pœna punitur, tanta namque eſt hujus facinoris immanitas, ut non tantum parricidæ prædicta pœna *in §. 6. Inſtit. de publ. Iud.* comprehenſa puniantur, ſed etiam illi, qui facinus iſtud ſaltem attentarunt, licet id non perfecerint, pœna parricidii ordinaria puniantur *l. 1. §. 1. ff. ad L. Pomp. de parricid.* Obſervandum autem quod JCtus in *d. l. 1.* non tantum ſimplicem præparationem veneni Conſideret, ſed etiam ulteriorem Conatum exigat, dum inquit: *Qui emit venenum ut patri daret, quamvis non potuerit dare,* quibus verbis apertè innuitur, ex parte attentantis nihil prætermiſſum fuiſſe quod ad criminis Conſummationem requiritur, ſed impedimento extrinſeco exitum Impeditum vel ſufflaminatum. Quæritur autem an illa lex vel conſtitutio qua

auxiliatores & Conſultores, item conſcii æquali pœna afficiuntur, pertineat etiam ad parricidium ſaltem attentatum? id quod regulariter affirmandum, dummodo à Parte ipſius principalis nihil prætermiſſum ſit, quod ad Conſummationem ejus pertineat, ſed per impedimentum extrinſecus interveniens actus fuerit impeditus. Parentes quoque qui infantes vel liberos necant, puniuntur, non quidem ordinaria parricidii pœna, ſed ſaltem pœna legis Corneliæ de ſicariis *l. 1. ff. ad L. Pomp. de parricid.* viſum eſt enim legi mitiùs puniri parentem, ob id quod alias vitæ & necis liberorum data eis fuerit facultas *L. 2. C. de patr. qui fil. diſtrax* jure Codicis & ex Nemeſi Carolinâ uti etiam hodie infanticidii pœna plerumq; eſt ſubmerſio & ſuffocatio in flumine *l. unic. C. de his qui par. vel liber. occid. Conſtit Carol. ar. 131.* quod ſi ſaltem nixi ſint infantes necare, licet id non perfecerint, tamen ordinaria legis Corneliæ pœna afficiuntur *l. ſiquis necandi C. ad L. Cornel. de ſicar. c. ſiquis de pœnit. diſt. 1.* pertinet etiam huc ſi vir uxorem vel uxor virum occidere tentent, inſidias parando, ubi pœna legis Corn. de ſicariis itidem locum habet, æque ac ſi infanticidium revera commiſſum eſſet. *l. ult. C. ad L. Pomp. de parricid.* Ratio autem quare & in his ſolus affectus puniatur, eſt arctisſima amicitia inter conjuges quæ à Communione bonorum procedit, à gradibus enim communicationis bonorum etiam gradus amicitiæ dependent; Quia igitur talis amicitia prorſus violatur, per hujusmodi auſus, meritò hujusmodi pœna in talia conantes ſtatuta fuit. Hodie utriusque delicti tam infanticidii, quam uxoricidii conatus ordinaria pœna non coercetur 𝔓. 𝔋. 𝔒. *art. 178. Carpzov. prax. crim. queſt. 2. num. 51. Mynſ. cent. 3. obſerv. 9.* Quoniam autem tanta diverſitas eſt conatus, ita etiam pœna ejus variare ſolet, maximè in hoc crimine; jure Saxonico diſtinguuntur tres caſus: primus eſt; quando delinquens non ſolum ad actum proximum ipſi parricidio devenit, & à parte ſua delictum implevit, ſed etiam per inflictum vulnus vel aliud damnum irreparabile mors citius procurata fuit ei, adverſus quem actus fuit directus, vel etiam alias attentatum ejusmodi reiteravit, & hoc caſu ultimo

ſuppli-

cio locum eſſe vix ambigitur. *Daniel Moller. ad Conſtit. Elect. ſ. n. 26. part. 4.* hoc enim caſu non ſolum à parte delinquentis Conſummatum eſt delictum, ſed præterea etiam damnum ingens datum fuit, idque eo magis, quia per hujusmodi damnum illatum mors citius procurata fuit; ſecundus Caſus eſt, quando ad actum proximum delicti quidem perventum fuit, nec per delinquentem ſterit quominus delictum conſummaretur, non tamen effectus ſecutus, neque etiam damnum irreparabile alicui illatum, & hoc caſu pœnam mortis non irrogari, ſed extraordinariæ ſaltem locum eſſe vult *Petr. Theodor. in Coll. Crim. diſp. 7. th. 6. l. 6.* Tertius caſus eſt, quando parricidium quidem attentatum fuit, ſed conatus ſaltem ad actum remotum pervenerit, & is quoque extraordinaria & quidem leviori pœna judicis arbitrio punitur.

XLVII. Parricidio proximum eſt aſſaſſinium, quod eſt homicidium ad alterius mandatum vel inſtantiam ad hoc merede conducto commiſſum *c. 1. de homicid. in 6to. d. c.* autem loquitur de infidelibus, qui Chriſtianum occidi mandarunt, quod tum temporis apud quosdam Aſiæ populos frequens erat; & hoc propriè verum aſſaſſinium dicitur, quando ſcilicet infidelis Chriſtianũ occidi mandat; cum autem horũ populorũ mores Chriſtiani ſubſequentibus temporibus imitarentur, uſus obtinuit ut *d. c. de homicid. in 6to.* per interpretationẽ latiùs extenſum ſit, ſic ut hodie nihil interſit, utrum infidelis Chriſtianum, an vero Chriſtianus Chriſtianũ occidi juſſerit. *Profp. Farin. part. 5. oper crim. queſt. 123. n. 22.* Obſervandum autem, quod in hoc crimine non certa pœna ſit ſtatuta, ſed pro more regionum illa variet, ſic ut alibi graviùs alibi mitiùs puniatur *Petr. Theodor. in Coll. crim. diſp. 7. th. 6. l. d. Decian. in Pract. crim. l. 9. c. 39. n. 31.* neque enim Jure civili, neque Conſtitutione Carolina de hac quicquam diſpoſitum reperitur. Dicitur autem aſſasſinus non ſolum ille, qui aliquem occidi precio mandat alteri, ſed & is qui ſuſcepta ab aliquo pecunia, mediante mandato, aliquem occidit, ſic ut mandans & mandatarius ſive conductor & locator aſſasſini dicantur, quin & mandans à nonnullis aſsaſſinator vocatur, licet enim *d. c. 1.* de mandante ſolum loqui videatur

deatur, tamen per interpretationem obtinuit, ut etiam ad mandatarium ſive locatorem extendatur. *gloſſ. in d. c. 1. in fin. Tib. Decian. in tract. crim. l. 9. c. 30. num. 9. Iod. Dambuder. in pract. crim. c. 83. rubr. de aſſaßinis n. 1.*

XLIIX. In hoc autem crimine quæritur, an attentatio quoque ejus ſit punibilis? id quod affirmandum per *d. c. humani. verbis: Quicunq; princeps prælatus vel quavis alia eccleſiaſtica ſecularisve perſona quempiam Chriſtianum per aſſaßinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, quanquam mors ex hoc forſitan non ſequatur dict. c. de homicidio in 6.* Ob expreſſam igitur Juris Pontificii diſpoſitionem conatus punitur eadem pœna ac ſi delictum perfectum eſſet, quamvis alias juxta Communem Dd. opinionem ex conſuetudine generali affectus regulariter non puniatur pœna ordinaria niſi ſequatur eventus. *Menoch. de arbitr. Iud. quæſt. lib. 2. cent. 4. num. ſeqq.* de qua tamen opinione quid ſentiendum ſit, alibi diximus. Sive igitur Chriſtianus ſit aſſaſſinus ſive infidelis, ſi ad actum occidendi proximum devenerit, & omnem niſum adhibuerit, nec per eum ſteterit, quin occideret, pœna ordinaria, regionis locum habet. *d. c. c. Tiraquell. tract. de pœnis legum cauſ. 37. num. 4.* Ob delicti enim hujus atrocitatem pœna ordinaria pro ſolo affectu imponenda eſt, etiamſi homicidium non ſubſecutum fuerit. *Farinac. p. 5. oper. crim. quæſt. 123. n. 77. Decian. in tractat. crim. l. 9. c. 30.* idque adeò procedit, ut licet ad actum maleficio proximum nondum fuerit deventum, tamen pœna ordinaria (quæ Juxta loci Conſuetudinem in hoc crimine irrogatur) in tali caſu æquè locum habeat, cum diſpoſitio *d. c. 1.* generaliter loquatur, & nudum mandatum puniat, licet ad inſultationem vel vulnerationem tanquam actum proximum nondum fuerit deventum, & aſſaſſinus appelletur, qui ad occidendum conductus eſt, licet nihil ampliùs commiſerit, ſic ut hoc crimen ſola conventione contrahi exiſtimetur; Limitatur tamen hoc in aſſaſſinio ficto, quod appellatur, quando ſcilicet ex interpretatione *d. c. humani* Chriſtianus Chriſtianum interfici mandat, de quo hic potiſſimum ſermo, in hoc enim conductio turpis vel etiam attentatio remota non conſideratur, ſed tum demum ſi ad

actum

actum conſummationi iſtius maleficii proximum fuerit deventum *Petr. Theodor. in Coll. Crim. diſp. 7. th. 4, l. 1.* non enim ſufficit, ut actus ſit proximus delicto, ſed opus eſt, ut ſit proximus conſummationi delicti, & ut ultra tractatum deventum ſit ad actum aliquem immediatè ordinatum ad ipſum factum *Proſp. Farinac. part. 5. oper. crim. quaeſt. 113. n. 106. cum ſeqq. jung. Carpzov. in prax. criminal. part. 2. quaeſt. 19. n. 27. ſſ. 57.* Prudentis igitur judicis erit examinare actus ipſos, ad quos conatus fuerit deductus, ut ex his, & ſimul delicti qualitate, aut Leviorem vel graviorem pœnam irroget; Quod ſi verò mandans tentare voluit mandatarium, ut mercedem acciperet ad committendum homicidium, mandatarius autem hoc facere recuſet, tunc ſolum mandans punitur, ſed pœna ſaltem arbitraria *Menoch. de arbitr. Jud. quaeſt. l. 2. c. 360. n. 42. & 43.*

XLIX. Denique auxilium præſtans licet res ſucceſſu careat, graviſſimis pœnis ſubjacet, *arg. l. 1. ff. de ſerv. corr. l. 53. ff. de V. S.* ſi autem parato quis aſſaſſinium conſuluerit, cum hoc crimen aliàs committendum erat, non ita graviter delinquit conſulens, punitur tamen Judicis arbitrio, præſertim ſi inſtigaverit animum delinquentis, hoc enim caſu auget actum exteriorem ab animo provenientem non citra concurſum. Eſt autem diſcrimen inter mandantem & conſulentem eo in caſu, quo ille mandatum revocavit, hic verò retractavit conſilium, cum enim mandatum gratia mandantis fiat, atque ab eo vim & principium movendi habeat, ſequitur quod voluntate ejus per revocationem ſublata, mandatum quoque ceſſet, ſic ut nihil amplius ei imputari queat; conſilium autem cum principaliter & directò concernat eum cui id datum, augeatque ejus inclinationem, non tollitur per revocationem, quemadmodum mandatum, conſilium enim inſtruit intellectum, qui ſemel inſtructus non facilè mutatur ob impreſſionem, quam relinquit in animo, præſertim quando de vindicta ſumenda agitur. *Covarruv. clem. 1. p. 2. §. 1. n. 5.* Luit ergo, qui conſilium dedit licet revocaverit, niſi is cui conſilium datum propter revocationem iſtam acquieſcat, & ex aliis cauſis ſupervenientibus homicidium vel aſſaſſinium

 exequi

exequi deſtinaverit, hoc enim caſu cum non concurrat conſulens, à pœna quoque immunis erit.

L. Pœna fabricantium falſas monetas ex Conſtantini conſtitutione *l. 2. C. de falſ. monet.* eſt, ut igne conermentur nec obſtat *l. 1. C. eod.* ubi ſolum pœnæ capitis fit mentio, hæc enim deſignat ultimum ſupplicium in genere, etſi mortis qualitatem in ſpecie non exprimat, quam tamen qualitatem poſtea declaravit, ante autem iſtam declarationem incertum erat, qua pœna plecti hujusmodi falſarius debeat. Quod ſi non perfecerit falſam monetam, ſed ſolum aliquid egerit aut tentaverit; ut ſi adhuc imaginem vel formam non impreſſerit, tali caſu, quia machinatio adhuc remota eſt, vel nulla, ſi forte pœnitentia ductus. *l. 19. ff. ad. L. Corn. de falſ.* vel extraordinaria (ſi nimirum impedimento aliquo extrinſeco præter intentionem ejus ſuperveniente prohibitus non per fecerit) pœna afficiendus erit. *Gloſſ. in l. quicunq. ff ad L. Corn. de falſ. Bald. in l. 3. ff de naut. fœn.* Si verò jam excuſſit monetam ſed nondum expendit, quoniam tunc ad actum proximum deventum eſt, non quidem pœna ignicremii ordinaria, ſed ei proxima, gladii ſeu truncationis capitis *Menoch. de arbitr. Iud. quæſt l. 2. caſ. 360. 165. Carpzov. prax. criminal. quæſt. 42. n. 91. & ſeqq.*

LI. Denique, qui falſos teſtes producunt vel ſubornant, quique falſis & ſubdolis depoſitionibus quenquam malitioſè onerant, ſive taliter prægravatus ſupplicium ſuſtinuerit ſive non, tamen ejuſmodi teſtis eadem pœna afficitur qua is puniendus fuiſſet, contra quem teſtimonium falſum dictum eſt, ſi verè de crimine fuiſſet convictus *l. 1. l. 9. ff. ad L. Corn. de falſ. l. 6. ff de Teſtib. Farin. part. 6. oper. Crim. quæſt. 50. Maſcard. de probat. vol. 3. concl. 1668. num. 5.* idque etiam juri divino conſentaneum *Deut. c. 19. v. 19.* & concordat *Conſtit. Carol. art. 6, 8. verb.* Wo Zeugen erfunden und überwunden werden/ die durch falſche boßhaffte Zeugſchafft jemand zu peinlicher Straffe unſchüldig bringen NB. oder zubringen unterſtünden/ die haben die Straffe verwircket/ in welchen ſie den unſchüldigen bringen wollen/ item *art. 107. verb.* Wo aber einer durch ſeinen falſchen Aydt jemand zu peinlicher Straffe ſchwäret/ derſelbe ſoll mit der Pein die erfälſchlich auff einen andern ſchwäret/ geſtraffet

geſtraffet werden. Quæ pœna etiam ad verſus eos competit, qui ut falſum Juretur ſcientes & dolo malo alios ſubornant vel conducunt *d. Conſt. art. 107. verb.* Wer ſolch falſch ſchwären wiſſentlich darzu anrichtet / der leydet gleiche Peen *Daniel. Muller lib. 2. ſemeſt. c. 40.* idque etiam in toto orbe Chriſtiano præprimis in Gallia ſtrictè obſervatur, ubi non paucis ab hinc annis illuſtris caſus contigit, qui cum apprimè huc faciat, juvat eum paucis hic recenſere; Quidam primæ nobilitatis vir, aliquos nobiles ex regis ſtipatoribus induxerat, ut teſtimonium falſum, quod in regis contumeliam vergeret, contra inſignem virum proferrent; hos autem produxerat propterea, ut reum per mortis ſupplicium è medio tolleret, quo ſecurius amore vel potius flagitio conjugis ejus, (quam deperibat, & cum qua iſtam ſubornationem concertarat) poti-retur. Hi nobiles præmiis illecti, rem falſam ad Judicem criminalem deferunt, quibus (ut integræ famæ, quorumque officium præterea requirebat ut tale quid tanquam Regis autoritatem immediatè lædens indicarent) ſtatim plena fides habita; reus captus, teſtibus præſentibus convictus, capitis damnatur, bonis ejus omnibus publicatis; ſed eâdem hora quâ miſer ſupplicio deſtinatur, innocentia ejus hactenus ſuppreſſa, mirâ Dei providentiâ detegitur, quâ cognitâ, à falsò intentato crimine abſolvitur, corrupti teſtes cum ſubornatore in pœnam æqualem ſuccedunt, qua mox puniendus erat is, contra quem falſum teſtimonium dixerant, quæ erat gladius, bonis præterea eorum ablatis & partim fiſco regio addictis, partim etiam alimentationi ſuſtentationique pauperum applicatis, uxor autem, quoniam fugâ ſupplicium evaſerat, ob ſummam perfidiam in maritum commiſſam in effigie ſuſpenſa fuit. Cum igitur horum attentata ad conſummationem maleficii proximè accederent, nec per ſubornatorem aut falsò ſuppoſitos teſtes ſtaret, quominùs ſententia mortis pronunciata ſanguine innocentis confirmaretur, jure meritoque talis pœna in hujuſmodi delinquentes ſtatuta fuit. Sed reus abſolutione iſta ſola non contentus, in ſuper & civilem reparationem urgebat, & quidem hanc ob cauſam; quoniam, ſi innocentia ejus non detecta fuiſſet, ille ob crimen,

læſæ Majeſtatis falſo intentatum, præter vitam, jacturam quoque feciſſet omnium bonorum, quibus carituri etiam fuiſſent inſontes liberi; propter iſtud igitur periculum amiſſionis bonorum quod immeritò ſuſtinuit, velut jure talionis bona iſta damnatorum, loco ſatisfactionis, ſi non univerſa, ſaltem quoad concurrentem ſummam damni, quod in bonis ejus propriis tam mobilibus, quam immobilibus metuendum ei erat, à Parlamento adjudicari ſibi cupiebat, ſed fruſtrà fuit. Pro negotii autem vel delicti qualitate in quod hoc crimen falſi teſtimonii vel ſuppoſionis teſtium incidit, puniri debet, ſic ut ſi incidat in crimen enorme velut læſæ Majeſtatis (prout ex allato jam exemplo pateſcit) vel non ita grave, pœna quoque ejus exaſperari vel mitigari debet. *Conſtit. Carol. dict. artic.*

LII. Abſolutis Delictis iis, quibus potiſſimùm in bonis proximo nocetur, ſuper eſt jam ut videamus, in quibus delictis carnis hæc noſtra materia locum inveniat, cum conſtet, etiam in horum aliquibus ſolum attentatum punitioni obnoxium eſſe; Inter hæc autem occurrit primo loco horrendum crimen Sodomiæ, quod contra ordinem naturæ committitur; Pœna ejus de jure civili eſt gladius *l. 31. C. ad L. Jul. de adult.* Quæ pœna Conſtitutione Carolina exaſperatur & eſt ignicremium *art. 116.* flammis ſiquidem ultricibus vivi exuruntur. Quæ pœna etiam paſſim alibi recepta eſt, de qua teſtatur *Menoch. de arbitr. Jud. quæſt. l. 2. caſ. 286. num. 43. & ſeq.* Et Jure divino, quod in his ſequimur, etiam bruta animalia, cum quibus ſodomia peracta, igne abſumuntur *Levit. 20. v. 15.* Quod ſi vero ſaltem attentatum fuerit hoc crimen, hanc pœnam ordinariam locum non habere ſed attentanti arbitrariam injungendam exiſtimat *Clarus l. 5. ſent. §. ſodomia. n. 8. Menoch. de arbitr. Jud. quæſt. l. 2. caſ. 286. n. 28. Petr. Theod. in Coll. crim. diſp. 6. th. 5. lit. L.* Et in *l. 1. §. fin. ff. de extraord. crim.* dicitur, quod perfecto flagitio delinquens puniatur capite, imperfecto, in inſulam deportetur, in cujus locum hodie Succeſſit relegatio vel fuſtigatio *Preſp. Farinac. part. 1. oper. crim. q. 19. n. 15.* Diſſentit *Jod. Damhauder. in pr. rer. Crim. c. 96. num. 18.* quod ſcilicet non requiratur conſummatio operis, ſed ſuffi-

cere.

cere voluntatem proximam, ita ut opus conceptum perfeciſſet ſi potuiſſet, facit cum eo Gailius *l. 1. d. P. P. c. 14. n. 26.* Priorem tamen tanquam æquiorem ſententiam hodierna praxis ſequitur.

LIII. In ſtupro autem violento (cujus pœna eſt ultimum ſupplicium *l. 1. §. 2. ff. de extraord. crim. l. 5. ff. de vi publ.* cum quo convenit lex divina, *Deut. 22. v. 25. it. Conſtit. Carol. artic. 119.*) ob ſolam attentationem, pœnæ ſaltem arbitrariæ locus eſt, *l. 1. ff. de extraord. crim. Conſtit. Carol. artic. 119.* quod ſi actus permanens acceſſerit, velut vulneratio, pœna exaſperari ſolet, *Coler. deciſ. 126. num. 109.* item ſi hoc crimen cum adulterio concurrat, gravior quoque pœna infligitur. *Carpzov. in prax. crim. part. 2. quæſt. 75.* crimine licet haut conſummato.

LIV. Similiter nec attentatum adulterium pœna hujus delicti ordinaria (quæ jure civili pro temporum diverſitate diverſa fuit) punitur, cum enim hoc delictum in violatione thori conſiſtat, quæ fit, per commixtionem ſanguinis, in attentato autem ſaltem adulterio hoc ceſſet, Sequitur quod hoc minus puniri debeat, cum ceſſante cauſa & ratione diſpoſitionis, ceſſet quoque & ipſa diſpoſitio, *Everhard à Middelburg in loc. leg. loco à ceſſat rat. n. 2:* quapropter pœna vel relegationis aut carceris locum habet, pro proximitate attentati, cum enim huic certa pœna in Jure Civili, ut in aliis atrocioribus ſtatuta non ſit, ſequitur quod arbitraria animadverſio locum ſaltem habeat. *Menoch. de arbitr. Iud. quæſt. l. 1. quæſt. 86. n. 8.*

LV. In Lenocinio quod non minus grave eſt crimen quam adulterium (ubi nimirum quis uxorem, liberos, mulieres, virgines turpis lucri cauſa alienis libidinibus proſtituit) pœna quoque capitalis locum habet, quæ etiam in extraneo lenone obtinet, *Nov. 14. de lenoc. O. C. art. 122.* ſi verò lenocinium ſolum attentatum fuerit, effectu haut ſecuto, (ut ſiquis filias aut conjugem opera lenonis ſtuprare volens ab ipſis impetrare non potuit, ut flagitio conſentirent) extraordinaria pœna obſervatur, eaque haut levis, graviter enim peccat, qui conſentit in ſcortationem conjugis aut liberorum, quos ad morum honeſtatē vitæq; innocenti-

am traducere debeat. Siquis etiam cum puella immatura quinque vel ſex annorum concumbere volens, rem non perfecerit, hunc ob conatum pœna capitali afficiendum eſſe exiſtimat *Clarus*, item *Berlichius*, qui *part.5. conc 42.* præjudicium adfert, quo quis cum puella 4. annorum coire intentans, capite truncatus fuerit, & præterea non minimi ponderis argumenta adfert, quare hoc attentatum mortis pœna affici debeat.

LVI. Supereſt jam crimen raptus, quo quis virginem, viduam, monialem, aut aliam honeſtam Fœminam libidinis explendæ cauſa improbè & per vim abducit & violat, quod cum inter atrociſſima crimina referatur, nemo quoq; dubitat, quin graviſſima pœna vindicetur *l. un. C. de rapt. virgin. item l. ſiquis non dicam rapere C. de Epiſc. & Cler.* quæ eſt, ut reus hujus criminis, cum omnibus complicibus, nimirum opem & auxilium ferentibus, comitantibus & ſociis, imo ſaltem conſciis Capitis ſupplicio & bonorum omnium proſcriptione damnetur, non ſolum ſi ipſum crimen perpetratum fuerit, verum etiam ſi facere ſaltem quis hoc attentarit *d. l. un.* Quin & parentibus & qui loco horum ſunt, tutoribus curatoribusve, & conſanguineis, impunè conceditur, ipſum raptorem in flagranti crimine deprehenſum interficere, nec excuſatur raptor, ſed iisdem pœnis ſubjacet. licet conſentientibus virginibus vel mulieribus hoc factum ſit, vel etiam conſenſus parentum poſtmodū acceſſerit *d. l. un. C. de rapt. Junct. Conſt. Carol. verb.* unangeſehen ob die EheFraue oder Jungfraue jhren willen darzu gegeben; præſumitur enim odioſis artibus & blanditiis, circumventa & ſeducta, alias forſan non conſenſiſſet, vim enim habent perſuaſoria verba *l. 1. §. 3. ff. de Serv. Corr.* non obſt. *l. 1. §. 5. de injur.* ubi dicitur quod volenti non fiat in Juria, nam hæc voluntas ab inſidiis & artibus delinquentis inducitur; præterea hęc injuria non ſolum raptam ejusque parentes & propinquos, verum etiam Remp. principaliter attingit, cujus ſecuritas per hoc inſigniter læditur, quapropter tali conſenſu nonobſtante, nihilominus pœna raptus locum habet, in caſu autem quo mulier ſpontanea voluntate conſenſum præbuerit, mortis pœnæ locum non eſſe putat *Peckian. tract. crim. l. 8. C. 7.* Quod ſi contingat, ut nuptam mulie-

rem

rem rapere quis deprehendatur,tam adulterii quam raptus crimine tenetur,qui concurſus gravitatem delicti auget.

LVII. Ceſſat autem hæc pœna ad mores noſtros ſi reſpicimus,ſiquis propriam ſponſam præcedente legitimo conſenſu abducit *c fin. X. de rap. c. lex illa. 36. q. 1. c. ſiquis virginem.* Diſtringuendum autem inter ſponſam de præſenti & de futuro; in hac pœna recepta ad huc locum habet, cum ſpem matrimonij leges violare non permittant *ex conſtit. Severi & Antonini* idque non ſine ratione,cum jure civili ſponſa renunciare potuerit ſponſalibus donec domum deducta fuerit *l. 1. C. de ſponſal.* & hoc ſi ad mores noſtros accommodamus ad ſponſalia de futuro reſtringendum; Præterea in hujus Corpus nullum ad huc competit jus raptori,quod demum accedit per matrimonium, hoc jus enim cum ſit debile nec ſatis firmum, non excuſat violentiam, in ſponſa autem de præſenti cum quis jam habeat jus quæſitum ac firmum, eoque utatur, non poteſt dici ei vim inferre cum jam uxor facta ſit *l. 1. §. fin. ff. de lib. exhib. Farin. oper. crim. quæſt. 154. n. 81. Forſterus de ſucceſſ. l. 9 c. 3. num. 14.* impropriè enim hæc appellantur ſponſalia reſpectu vinculi matrimonialis, quod eſt perfectio prima, ſed ſaltem reſpectu executionis matrimonii ita dicuntur cum uterq; ſpondeat in futurum reſpectu executionis ſ. conſummationis,ſed reſpectu vinculi promittit de præſenti,ita ut eadem ſit inter hæc differentia quæ inter emptionem & venditionem perfectam nudo conſenſu citra traditionem,& eam quæ conſummata eſt rei venditæ traditione,ſponſalia verò de præſenti differant à ſponſalibus de futuro,quemadmodum venditio perfecta à pacto de vendendo in futurum *Sutholt diſſert. 2. th. 9. & 10.* Cum igitur verum matrimonium ſit inter ſponſum & ſponſam de præſenti, ſequitur etiam nec raptum in ea committi,quemadmodum in ſponſa de futuro 2.Qui meretricem rapuit aut rapere voluit,hac conſtitutione non comprehenditur,præſertim ſi ſemel cognita ſit. *l. 20. l. 29. C. ad L. Iul. de adult. & in l. un C. de rapt. virg.* ubi ſaltem virginum & mulierum honeſtarum ſit mentio,interim quin pœna extraordinaria puniendus ſit raptor, non ambigitur, ne facinus maneat impunitum, maximè propter ſecuritatem publicam violatam,

vim

vim inferendo perſonæ licet minùs honeſtæ, quæ invita non cogitur ſtuprum pati, & hæc eſt communis Dd. opinio; quod ſi vero vitam inhoneſtam depoſuerit, & mores correxerit omnino etiam raptus in ea committitur. ſufficit enim quod tempore rapt⁹ honeſtè vixerit *Berlich. part. 5. concl. 41. n. 57* 3. Non irrogari pœnam ordinariā ſi raptor virginem raptam carnaliter non cognoverit, ſunt qui exiſtimant, inter quos Eminentisſimus ICtus *Antonius Faber in Comment. ad C. tit. 9. tit. 11 defin. 1. n. 1.* quando enim raptor matrimonii cauſa rapuit & conſulto â concubitu vel violēta compreſſione abſtinuit, non ſubjiciendum eſſe pœnæ raptus volunt. Cum *d. l* requirat raptum libidinis cauſa commiſſum eſſe; fundant autem ſe in ipſa lege, ubi dicitur raptorem propterea pœna Capitali puniri, quod caſtitas ſeu virginitas per ipſum ablata, reſtitui amplius non posſit, quæ ratio cum in non cognita virgine vel muliere ceſſet, ceſſet quoque & legis diſpoſitio. Et ſic ex ſententia Fabri d. Conſtitutio requirit raptum cum ipſo ſtupro. Verum contrariam ſententiam juris Communis diſpoſitioni magis conformem eſſe vix dubitandum; licet enim verba in d. Conſtitutione ſatis clara videantur, ita ut aliam interpretationem vix admittant, tamen facta collatione hujus conſtitutionis cum aliis legibus dicendum, & ſufficere, ſcilicet mulierem raptam eſſe, licet libidinem non expleverit raptor, cum hæc conſtitutio ſe fundet in raptu, qui perfectus eſt, licet ad ultimum ſceleris gradum non pervenerit raptor, Et hæc ſententia etiam ex aliis legibus ſupplenda erit, *l. 54. C. de Epiſc. & Cler.* ubi dicitur quod raptor virginis, viduæ, vel ſanctimonialis capitis ſupplicio afficiendus ſit ſimpliciter abſque alia adjectione, ſe fundando ſolùm in abductione violenta, non in defloratione ſeu concubitu libidinoſo; facit huc etiam *l. 5. ff. ad L. Jul. de vi publ* qua ille qui vacantem mulierem rapuit vel nuptam, ultimò ſupplicio afficiendus ſit, non diſtinguendo, utrum cognita ſit nec ne; ulterius etiam conſiderandum, ipſum raptum crimen eſſe ſpeciale, ita ut illud quantum in ſe eſt, dicatur perfectum, licet expletio libidinis nondum facta ſit, jam enim illata eſt infamia parentibus & puellæ licet nondum vitiatæ, cum hujus pudicitia ab omnibus violata jam credatur; Præterea ad raptus crimen pro forma eſſentiali requiritur, ut virgo ſeu mulier rapta transducatur de

uno

uno loco ad alium, quod ſi factum fuerit nihil amplius ad perfecti-onem criminis reſtare videtur, inſuper habito utrum concubitus ſubſecutus fuerit nec ne; quod ſi igitur ſola violenta abductio ve-ram hujus criminis eſſentiam conſtituat, ſequitur, quod ſtuprum vel expletio libidinis huic crimini inhæreat non niſi per accidens, & conſequenter ſalvâ delicti iſtius ſubſtantiâ ab illo ſeparari poſ-ſit. Et per hanc ſpecificam differentiam à ſtupro violento (ubi compreſſio violenta ad implementum ſeu conſummationem hujus delicti requiritur) diſcrepat, raptus autem utplurimum ea intentione fit ut quis virginem vel aliam quamvis honeſtam foe-minam quam licitè cum conſenſu parentum vel propinquorum, tutorumve habere non poteſt, per violentam abductionem capiat, & matrimonium cum ea contrahat *l. un. C. rapt. virg. VVeſenb. in §. ſin autem Inſtit. de publ. Iud.* quæ, intentio quidem in ſe conſiderata eſt indifferens. cum uxorem ducere nullo jure ſit prohibitum, ve-rum media, per quæ ad illum finem pervenire cogitat, ſunt mala, & prohibita; Quod ſi ad raptum etiam concubitus libidinoſus ac-cedat, id factum huic delicto extrinſecum eſt, ac velut ei contin-gens, adeoque reſpectu habito ad delictum ipſum non niſi mere accidentaliter ſe habet.

LIIX. Ceterùm, hanc Iuris civilis perplexitatem Conſtitu-tio Carolina velut nodum Gordium uno quaſi ictu diſſolvit, hæc enim omninò deſiderat virginem libidinis explendæ cauſa raptam eſſe, idque verba ipſa *art. 118.* unehrlicher weiſſe ſatis innuunt, ſic ut hæc Conſtitutio videatur requirere raptum cum ipſo ſtupro, quod ſi ſub ſecutum non ſit, crimen quoque quadantenus imperfectum cenſendum, cum raptus reſpectu habito ad Conſummationem delicti quæ juxta hanc conſtitutionem eſt concubitus, non niſi in-ſtar conatus ſe habeat, adeoque pœna nonniſi extraordinaria hujus delicti puniri oporteat; & capitali pœna non eſſe afficiendum ra-ptorem, ſi ipſe raptam virginem non cognoverit, interpretes ple-rique ad *d. l. un. C. de rapt.* ſtatuunt, quemadmodum & de conſue-tudine Mediolanenſium teſtatur quoque *Menochius*, quod ſolum puniatur pœna capitali cognoſcens carnaliter mulierem raptam,

illibatam ad honeſtum locum perduxit, & tunc extra ordinem quanquam pœna gravi plectendus; aut verò non ſtupravit, non ob pœnitentiam ſupervenientem, ſed ob id qvod perficere non potuit, & tunc ordinaria locum habebit. *Decian. l. 8. c. 7. n. 34 Farin. quaſt. 145. n. 209. Covarr. in c. furioſ. p. 2. n. 8. Menoch. caſ. 261 n. 34.* qui tamen *caſ. 280.* ex verbis conſtitutionis ubi *inventi ſu rint in ipſa rapina; item niſi iſtam ſollicitaverit* concludit, etiam affectum remotum in hoc maleficio puniendum eſſe, cum ſola ſollicitatio hanc remotionem declaret, & remotè raptum conſtituat. Diſſentit *Brunneman. in Comment. in C. tit. de rapt. §. 15.* & non niſi machinationem proximam vult puniendam. In monialis raptu alii, uti & Baldus ſolum affectum remotum puniendum eſſe exiſtimant *in l 3. n. 3 C. de ſerv. fugit.* pœna tamen extraordinaria, prout putat. *Menoch. de arbitr. jud. queſt. l. 2 c. 360. n. 54.* Et hæc conſtitutio quoque relata eſt *in c. ſiquis non dicam de pœnitentia diſtinct. 1.*

LXI. Rei autem hujus criminis ſunt duplices, alij ſunt principales qui rapuerunt; alii qui in ipſo raptu auxilium præſtarunt, & hi omnes æquali pœna afficiendi *d l. un.* Eſt autem notabile in hac lege, quod non ſolū auxiliatores, receptores, & alii complices pœna in ea comprehenſa puniantur, ſed & conſcij ſaltem, ſic ut etiam patientia in hoc crimine capitalis videatur, quemadmodum in crimine læſæ Majeſtatis; ſed dictum alibi, ut conſcii teneantur, requiri facultatem prohibendi, ſic ut ſola ſcientia hic non ſufficiat, ſed cum facultate prohibendi, concurrat oportet, ut effectum punibilem producat; facit huc illud Bruti ad Ciceronam. Alienæ igitur culpæ me reum facies? *Prorſus alienæ, ſi prævideri potuit ne exiſteret*. Quisquis enim patitur delinquere, is vires ſubminiſtrat improbitati, cum par ſit delinquere & delinquentes non prohibere. Quadrat huc illud *Ovidii Metamorpſ. 14.*

— Virgine rapta.

Quam meruit pœnam ſolus digeſſit in omnes. Idq; propterea, quod reliqui ſciverant ſed non prohibuerant, ne virgo ſacerdos raperetur. In tali igitur caſu ubi quis conſcius fuit raptus, & impedire potuit maturè revelando, aut alias ſuccurrendo, nec tamen fecit, particeps eſt delicti, ideoque non iniquum eſt, ut cum

cum reliquis complicibus pœnam merito ſuo dignam ſuſtineat.

LXII. Ceterum quin hæc conſtitutio dura ſit in aliquibus, agnoſcit *Brunneman. in Comm. in C. d. l. ſ. 21.* ideoque principem aut magiſtratum ſalva Conſcientia rigorem iſtum mitigare debere ſuadet. Referri huc quodammodo poteſt *l. ult. C. de his qui ad Eccleſiam Confug.* ubi ſancitum eſt, pœna mortis puniendum eſſe, non ſolum qui reverà fugientem ad Eccleſeam inde extraxerit, ſed & qui extrahere ſaltem cogitaverit, ſic ut etiam affectus remotus in hoc crimine puniendus veniat, id quod per verbum illud *cogitare* innuitur, ſola enim cogitatio nequidem etiam in atrocisſimis delictis punitur *l. 18. ff. de pœnis.*

LXIII. Hactenus de delictis atrocioribus in quibus ſolus etiam affectus à lege notatus punitur; Non ſolum autem in enormibus jam recenſitis, ſed etiam in quibusdam extraordinariis & levioribus delictis Conatus notatur; In his autem licet principaliter privata utilitas attendatur, nihil omninus tamen vel religio vel utilitas publica & honeſtas violatur, ut propterea pro arbitrio Iudicis extraordinaria pœna promodo admisſi ſtatuatur *l. fin. ff. de priv. del.* ut eſt Sollicitatio alienarum nuptiarum, quando quis pudicitiam alienæ uxoris attentat, ſollicitare autem dicitur, qui muneribus aliquem allicit & corrumpit, & eſt idem, quod inſtare & allicere, ſpem vel metum oſtendendo, quæ Sollicitatio hic punitur tanquam ſpeciale crimen pœna arbitraria; Sic pœnam legis incurrit, qui ſuppoſitam Jurisdictioni ſuæ mulierem in thalamum pellicere ſaltem conatur *l. un. C. ſi qual. præd. poteſt.* ita, ut pro ſolo niſu ſeu interpellatione puniatur ille magiſtratus, qui provincialem vi & metu tentat in uxorem ducere, quia ipſa interpellatio & attentatio de matrimonio à lege notata, & pro delicto habita eſt, licet matrimonium non inſecutum fuerit. Tenetur quoque ex legis notatione, qui alienum ſervum corrumpere ſtuduerit, licet is ſe corrumpi paſſus non ſit *l. 20. C. de furt.* v. g. ſiquis perſuaſerit ſervo, ut furtum adverſus Dominum ſuum committeret, id tamen reapſe non faciat, ſuaſor tenetur ac ſi propriè corrupiſſet. Sic quoque injuriarum tenetur non ſolùm qui pulſat ſed & qui manum vel brachium levat verberaturus *Iaſon in l. 1. §. ult. n. 15.*

impetraverit, licet eo non uſus fuerit *l. 5. ff. quod quisq. Iur.* Item qui locavit operas ſuas ut cum beſtiis pugnaret, arcetur à poſtulando, quæ pœna etiam locum habet licet non pugnaverit. *Bald. in l. ſi quis non dicam rapere num. 5. C. de Epiſc. & cler.* Siquis rem obligationi ſuppoſitam tentavit alienare ſuppreſſa priori obligatione *l. ult. C. de crim. ſtell.* item tentans corrumpere Judicem punitur ac ſi verè corrupiſſet, *Menoch. de arbitr. Iud. quæſt. l. 2. c. 343.* Qui pecuniam accepit calumniandi animo ad negotium faciendum in Judicio, punitur licet non fecerit *l. 1. 3. 7. ff. de calumn.* Qui voluit civitatis muros tranſcendere nec tamen fecit, punitur *l. ult. ff de rer. diviſ.* Et non ſolum transfuga, ſed & qui transfugere voluit punitur *l. 3. ff. de re milit.* it. de albo corrupto tenetur, qui tollit album, licet non corruperit. *l 7. §. 5. ff. de Iuriſdict.* Denique non ſolum qui frumentum exportant, ſed & qui exportare ſaltem intendunt, non ſecus ac ſi fecerint puniuntur. Et hæc ſunt præcipuè delicta, in quibus ſolus niſus eventu licet non ſubſecuto punitur, quæ quidem latius perſequenda, eſſent, quoniam autem hæc leviora ſunt, & præterea tale quid in his non ita rigoroſè ampliùs obſervatur, ideoque de his quicquam ampliùs admonere ſuperſedebimus.

Caput Ultimum.

Contraria horum Maleficiorum exhibens.

Thesis I.

HÆ autem pœnæ ob jus violatum interdum à ſumma poteſtate propter publicam utilitatem, quæ ſuprema lex eſt, vel remittuntur, vel mitigantur; Sed dum princeps vel ſuperior illam juris violati pœnam remittit, vel aliàs circa eam diſpenſat, non ipſam tollit pœná à lege conſtitutam vel determinatam, ſed legis ſaltem obligationem à certo aliquo ſubjecto removet, ſed cum hæc remiſſio vel poteſtas diſpenſandi circa pœnas partem jurium Majeſtatis conſtituat, ei demum competit, qui vel proprio vel conceſſo jure eam exercet. In Romana Republ. tantùm ab fuit ut præſides vel proconſules remittendi pœnas vel circa eas diſpenſandi poteſtatem habuerint, ut ne quidem jus gladii vel merum Imperium jure proprio ſeu magiſtratus (quippe quod intra poteſtatem cognoſcendi de civilibus & privatis tantum cauſis coarctatum erat) ſed vi ſpecialis commiſſionis ſaltem exercuerint; omnis itaque poteſtatas circa pœnaram diſpenſationem initio populo, poſtea ſolis Imperatoribus competiit.

II. In

II. In noſtro Imperio Imperatori id competit Jure Majeſtatis Reichs Abſcheid *de anno 1549.* §. Und wiewoll. ſtatibus autem Imperii jure ſuperioritatis territorialis quæ ſuperioritas confirmata *Inſtr. Pac. Oſnabruggo-Monaſterienſi art. 8.* A Principibus ergò & ſtatibus Imperii hoc jus exerceri ſolet, unde in reſponſis prudentum clauſula annecti ſolet daferne die hohe Obrigkeit des Orts dem Gefangenen nicht Gnade erzeigen wolte. Meritò autem quæras, quare Principibus Imperii tam auguſtum Jus competat, ut abſolutio vel condemnatio penes eos ſit absque ulla provocatione, id quod inter Jura Majeſtatis vel ſummi imperii ferè maximum reputandum, cum tamen in cauſis privatis poteſtas eorum magis ſit ad ſtrictam, ſic, ut ſiquis ſe gravatum ſentiat (modo non infra ſummam appellabilem) provocare ad Cameram vel Aulam Cæſaream poſſit? Ad quod reponendum, hanc poteſtatem ſtatibus competere vi ſuperioritatis territorialis, non autem vi alicujus ſpecialis privilegii vel etiam præſcriptionis, idque ex conſtitutione & naturâ noſtræ Reip. non aliter fieri debet; cum enim Germania in varias provincias diſſecta ſit, quarum quælibet peculiaribus ſtatutis, legibus & moribus utatur, quæ omnia non exactiùs vel meliùs quã qui eis præſunt, cognita ſint, nec illi qui univerſi Imperii gubernaculo adſident æquè rectè Judicare queant, quid ſingularum regionum neceſſitas ex poſcat, quam hi qui ſingulis præſunt, primariò autem harum provinciarum interſit, ut à malevolis & facinoſis purgentur, ſequitur hanc poteſtatem ad ſummum Imperium non trahendam, ſed ſuperioritati territoriali rectiùs inhærere, cum hæc non ita commode ab univerſo imperii ſenatu, quam à ſingulis communi Imperio ſubjunctis poteſtatibus (qui ſubjectarum ſibi provinciarum ſpecialem curam gerunt) exerceri queant, quæ autem negotia ita comparata ſunt, ut commodiùs à ſingulis quam ab omnibus in communi expediri queant, Juriſdictioni territoriali per ſe & ex ſui natura ſemper in ſunt; nec niſi per accidens ad Commune Imperium vel deliberationes publicas pertinent, id quod tamen propterea ſuperioritatis territorialis naturã non immutat, vel quicquam ei detrahit; quemadmodum nec vice verſa, quando ex hypotheſi præſuppoſita ſc. certa neceſſitate quædam negotia vel Jura in Comitiis Imperii univerſalibus aliàs rectiùs expedirentur, ſingulorum ſtatuum curæ &

trinſecè ei accedunt, dum nimirum neceſſitas temporum & conditio præſentis ſtatus imperij id non aliter fert e.g. Ius pangendi fœdera vel bellum indicendi, licet ſint Iura ſummi imperii & quidem tranſeuntia, quæ tangunt non ſolum communem Remp. ſed etiam reſpectum univerſalem habent ad vicinos vel exteros, ſic ut unius Reipubl. membri vel ſtatus imperii, vel ſi mavis, unius ſubordinatæ Reip. cura non terminentur, longe etiā feliciori ſucceſſu cōmunibus auſpiciis promoveantur, tamen & hæc, modo non fiant in præjudicium imperatoris & imperii ſtatibus habita ratione conſtitutionis præſentis noſtræ Reip. (cujus vinculum ob diſcordiam procerum nimis laxum deprehenditur) neceſſario concedenda erant, quo ſuæ ſecuritati maturè proſpicerent, vicinis vel exteris potentibus alias prædæ futuri, quamvis hæc portio Iuris ſummi imperii Iuriſdictioni territoriali non niſi per accidens cohæreat. vid. de his *Magnif. Dn. Cancell. Hugo in tract. de ſtat. Reg. Germ c.3.*

III. Expoſitâ quantum inſtituti noſtri ratio permittit naturâ Iuris territorialis, & quomodo à Iure ſummi imperii differat, jam ſatis conſtare arbitror, quare abſolutio vel condemnatio ſtatibus imperii neceſſariò competat, & quidem jure proprio vi ſolius ſuperioritatis territorialis non autem extrinſecè & ſpeciali aliqua conceſſione, quemadmodū de bello & fœderibus ſupradixi. Accedit his quod pœnæ non differendæ, ſed celeri animadverſione opus ſit propter exemplum, quæ neceſſitas quoq; adegit Romanos, ut tandem in atrociſſimis delictis quæ ſecuritatem Reip. lædunt appellationem non reciperent *l. 2 C. quorum appell. non. recip.* Præterea Iudiciorum civilium alia eſt conditio & natura quam criminalium, in illis enim Ius partium litigantium in diſceptationem venit, in quibus omne arbitrium Iuri quod inter Duos litigantes verſatur præcipuè adſtrictū eſt, ſic ut ſi paululum modo ab illo Iure deflectas, concedendo alterutri aliquid ex eo, ſtatim alteri ſubtraheretur, & ſic injuria ipſi fieret; In criminalibus vero arbitrium judicis non ita coarctatur, ſed habito reſpectu ad Remp. pœnam vel intendere vel remittere poteſt citra cujusquam injuriam vel præjudicium, modo id Reip. proficuum vel non noxium deprehenderit, de quibus in ſuperioribus actum. Supra dicti igitur ſententiam paſſos in Imperio per gratiam poſſunt reſtituere, vel etiam pœnam mitigare: videant tamen ſuperiores, ne temerè & indifferenter, ſed non niſi præcedente

Iuſta

ſuſta cauſæ cognitione habita ratione ſexus, ætatis, conditionis, & aliarum circumſtantiarũ hanc gratiam impertiant ſi enim nimis facilis eſt princips in pœnarum remiſſionibus, anſam delinquendi præbet *c. eſi injuſta 23. quæſt. 4. c. 13 divit. & honor. cler.* idque maximè obtinet ubi delicta ſunt atrocia, & quibus etiam de jure divino certa pœna ſtatuta eſt; ut in crimine homicidij, Sodomiæ, ſortilegij, &c. in his enim ita poteſtas imperantis reſtricta eſt, ut circa ea diſpenſare non poſſit, ſcire enim oportet ſe harum legum neque autorem neque Dominum eſſe, ideoque nec poſſe creatoris voluntati refragari; ſine commiſeratione igitur talia vindicanda ſunt, cum legum divinarum ſaltem habeat miniſterium; circumſtantiis tamen ſic ſuadentibus poteſt mitiùs ſtatuere, maximè in criminibus nondum Conſummatis, in quibus licet Iure civili certa pœna ſtatuta ſit, non omnis clementia ſed temeraria ac frequens ſaltem gratia removenda eſt, nihil enim tam proprium eſt ac conveniens Imperiali Majeſtati quã humanitas & clementia, per quam ſolam Deũ imitatur *l. 22. C. de nupt. omnia quidem ſcire non omnia exequi, parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem accommodare, nec pœna ſemper ſed potiùs pœnitentia contentum eſſe*, ut prudenter monet *Tacitus in Agric.* pœnam igitur ordinariam conatus in maleficiis licet atrocioribus in extraordinariam convertere, imò vel nullam infligere poteſt ſuperior (ſalvo etiam Jure divino & naturali) maximè ſi id Reip. expediat aut non nimis noxium ſit. Quod ſi verò damnum præſagiunt delicta licet haut perfecta ſint, ita ut talia admittere Exemplo pernitioſum ſit, caute procedendum erit, ne Reip. ruinam per hujusmodi inconſultam gratiam acceleret, *bonis* enim *nocet quiſquis pepercit malis, quæ enim bonitas eſt uni parcere, & omnes in diſcrimen adducere Cicero l. lib. 8.* Et *æquè crudelitas eſt, tam omnibus ignoſcere quam nulli.* Seneca *l. 1. de Clem. c. 2.*

IV. Non ſolum autem gratia ſuperioris, ſed & præſcriptio eſt modus pœnas jure ſtatutas tollendi quæ tamen inter perſonarum qualitatem non diſtinguit, quemadmodum fit in remiſſionibus pœnarum ex gratia ſed potius ad temporis diuturnitatem & exinde profluentem probationis incertitudinem reſpicit; Effluxo autem hoc tempore, rei

de Adult. nec etiam poſtea accuſatio admittitur, cum omnes maleficiorũ pœnæ ſublatæ, & officium Judicis clauſum intelligatur *l. 4. 7. C. de praſcr. 30. vel 40. ann. l. 2. ff. de req. vel abſ. damn.* ſi autem delinquens ſtatim poſt admiſſum delictum accuſatus & condemnatus aufugerit, & lapſis 20. annis reverſus fuerit, non currit hæc præſcriptio & tunc reus licet ante 20. annos condemnatus fuerit, contra ſententiæ condemnationem præſcriptionis Exceptione ſe defendere nequit, ſed pœnis à legè determinatis afficitur, eſt enim hæc præſcriptio pœnarum imponendarum non verò impoſitarum *arg. l. 12. C de falſ. Proſper. Farin. 1. queſt. 16. num. 28.* Et hæc quæ de præſcriptione criminum allata ſunt, etiam in maleficiis cœptis obtinent, in his enim tantò facilius præſcriptio locum inveniet, quanto leviora ſunt conſummatis. licet legibus cautum non reperiatur, quod illorum præſcriptioni brevius temporis ſpatium quam his determinatum ſit; dicendum igitur, quod, ſi delictum aliquod, cujus affectus à lege notatur breviori vel longiori temporis ſpatio præſcribitur, tanto quoque & non breviori temporis præſcriptione affectus punibilis iſtius delicti, in quod ille incidit ſubmoveatur; ſi verò delictum tale, ut præſcribi nequeat, quale eſt crimen Apoſtaſiæ *l. 4. C. de Apoſtat.* parricidii &c. *l. 13. ff ad S. C. Silan.* pœna quoque conatus ejus criminis modò à lege pro punibili declaratus fuerit, non præſcribitur; Sed de hac materia pro inſtituti ratione ſatis, placet igitur hic ſubſiſtere, Deo interim Opt, Max. gratias agens.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

F I N I S.